

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXXI - N. 2

---

1999

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSLIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1999

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Ex Allocutione ad Lusitaniae Episcopos Sacra Limina visitantes . . . . .	171
Allocutio ad quosdam Germaniae Episcopos Limina Apostolorum visitantes . . . . .	174

## ACTA CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE . . . . .	182
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS . . . . .	184
ORATIO EXC.MI PRAESIDIS in coetu speciali Synodi Episcoporum Europae . . . . .	186

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio VII) . . . . .	189
Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio VIII) . . . . .	241
Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio IX) . . . . .	285
NOTITIAE . . . . .	352
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA . . . . .	355

COETUS STUDIORUM  
« DE SACRAMENTIS »

Sessio IX  
(dd. 13-17 martii 1972 habita)

Diebus 13-17 martii 1972, in aulam Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studii ad recognoscendas normas CIC de Sacramentis (excepto sacramento matrimonii).

Convenerunt in aula inde ab hora 9,30 diei 13 martii 1972: Exc.mus D.nus Charue; Rev.mi D.ni Sessolo, Medina, Carbone, M'Bunga, Trochta; Rev.mi PP. Leite, Semmelroth, Abellan et Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius adjunctus, qui munere praesidis functus est, atque Rev.dus D.nus Pavoni, Adiutor a studiis.

Non adfuerunt Exc.mi DD. Schneider, Matulaitis Labukas, Vaivods et Oldani, Rev.mus Rybczyk, legitime impediti.

Quaestio proposita in hac sessione tractanda erat: recognitio canonum de Poenitentia (cann. 870-910) et de Indulgentiis (cann. 911-936), nec non recognitio canonum generalium de Sacramentis (cann. 731-736).

Vota de quaestionibus propositis paraverunt: Exc.mus Schneider et Rev.mi Sessolo, Abellan, Medina.

Antequam tractatur de recognoscenda legislatione de Poenitentia habetur altera disceptatio de schematis canonum de Sanctissima Eucharistia asservanda et veneranda et de Missarum stipe.

DISCEPTATIO DE SCHEME CANONUM  
DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA  
CUSTIODIENDA ET VENERANDA

*Can. 1 (CIC 1265)*

Ad n. 3 Rev.mus Secretarius ad. quaerit utrum relinqui debeant verba « ex indulto Apostolico » an vero admitti possit regula vi cuius Ordinarius permettere potest ut in oratoriis privatis Sanctissima Eucharistia asservari possit.

Rev.mus primus Consultor praeferit ne omittantur verba « ex indulto

Apostolico», quia formula est in favorem Episcopi; ex alia parte, declarat ipse Rev.mus primus Consultor quod Sancta Sedes semper sat severa fuit in concedenda facultate delegandi.

Exc.mus secundus Consultor aestimat dici posse non «de licentia Ordinarii loci», sed «de licentia Episcopi».

Rev.mi primus, tertius, quartus Consultores et Exc.mus secundus Consultor praeferunt ut relinquatur formula «ex indulto Apostolico».

Reliqui Consultores, scilicet Rev.mi quintus, sextus, septimus et octavus consentiunt ut dicatur «de licentia Episcopi dioecesani» loco «ex indulto Apostolico».

Etiam Rev.mus Secretarius ad. praefert formulam «ex indulto Apostolico», quia melius protegit potestatem Episcopi.

Ergo maioritas Consultorum consentit ut textus canonis 1, n. 3 maneat uti est.

#### *Can. 2 (CIC 1266)*

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut post verbum «asservatur» ponatur comma ad vitandam confusionem.

Placet omnibus.

#### *Can. 3 (CIC 1267)*

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «in domo Instituti perfectionis» loco «in religiosa vel pia domo».

Rev.mus octavus Consultor praefert tantum verba «in pia domo».

Rev.mus septimus Consultor proponit formulam sequentem: «in Instituti perfectionis vel piis domibus».

Rev.mus quintus Consultor praefert sequentem formulam: «in Instituti perfectionis vel aliis piis domibus».

Rev.mus primus Consultor proponit vero: «in domo Instituti perfectionis aliave pia domo».

Haec formula placet omnibus.

#### *Can. 4 (CIC 1268)*

Placet omnibus uti est.

#### *Can. 5 (CIC 1269 §§ 3 et 4)*

Rev.mus octavus Consultor proponit ut omittantur verba «super corporali» quia pertinent ad rem liturgicam.

Concordant omnes ut verba omittantur.

*Can. 6 (CIC 1270)*

Rev.mus octavus Consultor proponit ut verba «operculo clausa» supprimantur. Non placet.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur «serventur» loco «habentur». Non placet haec emendatio aliis Consultoribus.

Rev.mus quartus Consultor una cum Rev.mo Secretario ad. proponit ut dicatur: «apte clausa» sine verbo «operculo». Haec emendatio placet omnibus Consultoribus.

*Cann. 7, 8 et 9 (CIC 1271, 1272 et 1274)*

Textus placent omnibus uti sunt.

*Can. 10 (CIC 1290-1295)*

Rev.mus septimus Consultor proponit ut deleatur comma post verbum «Ordinarii».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod comma utile est quia expressio principalis est in verbis «ubi fieri potest».

DISCEPTATIO DE SCHEMATE CANONUM IAM PROBATO  
DE MISSARUM ELEEMOSYNIS VEL DE OBLATA  
AD MISSAE CELEBRATIONEM STIPE

QUAESTIO DE TITULO

Concordant omnes, excepto Rev.mo septimo Consultore ut maneat tantum secunda pars tituli, itaque titulus ita erit: «De oblata ad Missae celebrationem stipe».

*Can. 1 (CIC 824, § 1)*

Textus omnibus placet uti est.

*Can. 2 (novus)*

Rev.mus septimus Consultor dubium habet de verbis «auctoritatis ecclesiasticae» in § 2 canonis, scilicet utrum verba illa omittenda sint necne.

Respondent Rev.mus Secretarius ad. quod non solum Ordinarii loci sed etiam Sanctae Sedis est curare ut necessitatibus Ecclesiae et clericorum sustentationi provideatur.

Concordant omnes ut textus maneat uti est.

*Can. 3* (CIC 824, § 2)

Rev.mus quartus Consultor proponit ut in § 2 dicatur: «ea tamen lege» loco «ea tantum lege».

Textus placet omnibus cum suggestione Rev.mi quarti Consultoris.

*Can. 4* (CIC 827)

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 5* (CIC 825)

Notat Rev.mus tertius Consultor quod n. 1 sapit casuisticam; attamen textus placet omnibus uti est.

*Cann. 6, 7 et 8* (CIC 828, 829 et 830)

Textus placent omnibus uti sunt.

*Can. 9* (CIC 831)

Loco verbi «quaenam» ponitur «quid».

Rev.mus octavus Consultor proponit ut in secunda parte canonis dicitur «Curet autem idem Episcopus ...» loco «Curet autem loci Ordinarius...». Placet omnibus haec emendatio.

*Can. 10* (CIC 832)

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 11* (CIC 834)

Rev.mus primus Consultor declarat quod in secunda parte § 2 idea clara est, sed stilos non est clarus, et proponit ut ponantur particulae «si» et «secus» loco «quae» et «aliae». Placet omnibus haec emendatio.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut verbum «celebrandae» ante «petuntur» tollatur; placet omnibus. Idem proponit etiam ut dicatur «quam primum ... celebrentur», loco «quam primum ... celebranda sunt».

Haec vero emendatio non placet Consultoribus.

*Can. 12 (CIC 835)*

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 13 (CIC 836)*

Rev.mus quintus Consultor proponit ut in ultima linea loco verbi «Christifideles» ponatur verbum «oblatores». Textus cum hac emendatione placet omnibus.

*Can. 14 (CIC 838)*

Textus placet omnibus uti est, excepto Rev.mo septimo Consultore qui proponit ut dicatur, in prima linea, «applicentur» loco «celebrentur».

*Cann. 15 et 16 (CIC 837 et 839)*

Textus placent omnibus uti sunt.

*Can. 17 (CIC 840)*

Rev.mus octavus Consultor proponit ut dicatur «celebrandas» loco «celebrare» et ut verbum «celebrandas» tollatur.

Textus placet omnibus cum his emendationibus.

*Can. 18 (CIC 841)*

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 19 (CIC 842)*

Aliqui Consultores dubium habent utrum sit vere aptum necne verbum «saecularium».

Respondeat Rev.mus Secretarius ad. quod verbum habetur in Codice et idea est clara.

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 20 (CIC 843)*

Rev.mus primus Consultor praefert ut dicatur «in qua» loco «in quibus» et animadvertisit quod in Codice habetur «in quibus», quia antea dicitur «Rector ecclesiarum».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod hic dicitur non solum «Rector ecclesiae» sed etiam «aliusve pii loci». Ergo censem textum servari posse uti est.

Placet textus omnibus uti est.

*Can. 21 (CIC 844)*

Textus placet omnibus uti est.

### SCHEMA CANONUM «DE POENITENTIA» A REV.MO SECRETARIO ADPARATUM

En textus canonum:

*Can. 1 (CIC 870)*

In Sacramento poenitentiae per absolutionem a legitimo ministro impertitam, fideles, peccata confitentes et rite dispositi, veniam peccatorum quae post baptismum commiserint pacemque cum Ecclesia obtinent.

#### Caput I

##### DE SACRAMENTI POENITENTIAE MINISTRO

*Can. 2 (CIC 871)*

Minister sacramenti poenitentiae est solus sacerdos.

*Can. 3 (CIC 872)*

§ 1. Ad validam peccatorum absolutionem requiritur ut minister, praeterquam potestate per ordinationem sacram collata, facultate gaudeat eandem in determinatos fideles exercendi.

§ 2. Hac facultate donari potest sacerdos sive ipso iure sive speciali commissione ab auctoritate competenti facta ad normam can. 6.

*Can. 4 (CIC 873 et novus)*

§ 1. Facultate ad confessiones excipendas pro universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem, ipso iure gaudent (S.R.E.Cardinales); itemque

Episcopi omnes, sive dioecesani sive non, qui quidem eadem et liceite ubique utuntur, nisi loci Ordinarius in casu particulari expresse renuerit.

§ 2. Ipso iure eadem facultate ubique potiuntur quoque presbyteri qui sive vi officii sibi commissi facultate gaudent ad confessiones excipiendas in suo territorio, sive ad confessiones habitualiter excipiendas vi commissoris specialis ab aliquo loci Ordinario factae probati sunt; eadem vero facultate liceite utuntur tantum servatis, ubi statuantur, praescriptis a loci Ordinario editis.

§ 3. Ipso iure eadem facultate potiuntur erga sodales ubicumque sui Instituti perfectionis (aliosque de quibus in can. 514, § 1), tum Superiores clericalis Instituti perfectionis vi officii facultate gaudentes confessiones excipiendi suorum subditorum, tum presbyteri quilibet ab aliquo Superiore clericalis Instituti perfectionis ad normam constitutionum competenti pro eius subditis probati; qui quidem eadem et liceite utuntur, nisi aliquis Superior in casu particulari renuerit.

*Can. 5 (CIC 873, § 1 et 2)*

§ 1. Vi officii pro suo quisque territorio facultate ad confessiones excipiendas gaudent loci Ordinarius itemque parochus aliique qui loco parochi sunt; parochus vero aliique qui parochi loco sunt eandem aliis delegare nequeunt.

§ 2. Vi officii erga sodales sibi subditos aliosque de quibus in can. 514, § 1 potestate gaudent confessiones excipiendi Superiores Instituti clericalis perfectionis ad normam constitutionum potestate regiminis exexecutiva fruentes.

*Can. 6 (CIC 874 et 875)*

§ 1. Solus loci Ordinarius competens est qui facultatem ad confessiones quorumlibet, sive laicorum sive sodalium Institutorum perfectionis, excipiendas commissione speciali conferat sacerdotibus quibuscumque, tum saecularibus tum sodalibus Institutorum perfectionis; presbyteri autem sodales Institutorum perfectionis eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Superioris.

§ 2. Superior clericalis Instituti perfectionis ad normam constitutionum potestate regiminis exexecutiva in suos subditos gaudens, competens est qui facultatem ad excipiendas confessiones suorum subditorum aliosque de quibus in can. 514, § 1 speciali commissione conferat presbyteris, tum sodalibus alicuius Instituti perfectionis tum saecularibus.

*Can. 7 (CIC 77)*

Loci Ordinarius, itemque Superior clericalis Instituti perfectionis competens, facultatem ad confessiones habitualiter excipiendas ne concedant nisi presbyteris qui idonei per examen reperti fuerint aut de quorum scientia sacra (doctrina theologica) aliunde constet.

*Can. 8 (CIC 874, § 2)*

§ 1. Facultatem ad excipiendas habitualiter confessiones loci Ordinarius presbytero extraneo ne concedat, nisi prius, quantum fieri possit, auditio proprio eiusdem presbyteri Ordinario.

§ 2. Facultatem ad excipiendas habitualiter confessiones loci Ordinarius ne concedat sodali Instituti perfectionis qui a proprio Superiore non praesentatur; ei vero qui a proprio Superiore praesentatur sine gravi causa eam ne deneget, firmo tamen praescripto can. 7.

*Can. 9 (CIC 878)*

Facultas ad confessiones excipiendas a competenti auctoritate de qua in can. 6 concedi potest sive ad tempus indeterminatum sive ad tempus determinatum tantum.

*Can. 10 (CIC 879)*

Facultas ad confessiones excipiendas, quantum fieri possit, scripto concedatur.

*Can. 11 (CIC 880)*

§ 1. Loci Ordinarius, itemque Superior Instituti perfectionis competens, facultatem ad confessiones excipiendas habitualiter concessam ne revocet nisi gravem ob causam.

§ 2. Revocata facultate ad confessiones excipiendas a loci Ordinario ratione incardinationis seu adscriptionis proprio, presbyter eandem facultatem amittit ubique terrarum; revocata eadem facultate ab alio loci Ordinario, eandem amittit in territorio revocantis tantum.

§ 3. Ipso iure facultatem ad excipiendas confessiones amittit presbyter sodalis Instituti perfectionis, cui licentia ad confessiones excipiendas revocatur a Superiore ad normam constitutionum competenti.

§ 4. Ipso iure facultate ad confessiones excipiendas privatur sacerdos, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto.

*Can. 12 (CIC 882)*

Quilibet sacerdos, licet ad confessiones excipiendas non approbatus, quoslibet poenitentes in periculo mortis versantes valide et licite absolvit a quibusvis peccatis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884.

*Can. 13 (CIC 884)*

Absolutio complicis in peccato contra sextum Decalogi praeceptum invalida est, praeterquam in periculo mortis.

*Can. 14 (CIC 886)*

Si confessarius non dubitet de poenitentis dispositione et hic absolutio nem petat, absolutio ne denegetur nec differatur.

*Can. 15 (CIC 895)*

Eum qui confitetur se falso confessarium innocentem apud auctoritatem ecclesiasticam denuntiasse de crimen sollicitationis ad peccatum contra sextum, confessarius ne absolvat, nisi prius obtenta eiusdem delationis debita retractatione.

*Can. 16 (CIC 888, § 1)*

Sacerdos, utpote iustitiae simul ac misericordiae divinae minister a Deo constitutus, animo pastorali semper confessiones excipiat, ut quam maxime honori divino animarumque saluti consulat.

*Can. 17 (CIC 888, § 2)*

Sacerdos, in quaestionibus ponendis quas ad integritatem confessionis requiri aestimet, maxima cum prudentia et discretione procedat, attenta quidem condicione et aetate poenitentis, abstineatque a quaestionibus quae ad alias determinatas personas attinent.

*Can. 18 (CIC 887)*

Pro qualitate (gravitate) et numero peccatorum, habita tamen ratione poenitentis condicione, salutares et convenientes satisfactiones confessarius iniungat; quas poenitens per se ipse implendi obligatione tenetur.

*Can. 19 (CIC 889)*

§ 1. Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat confessarius itemque, si detur, interpres, ne verbo aliove quovis modo et quavis de causa prodant aliquatenus poenitentem.

§ 2. Obligatione secretum inviolabile servandi tenentur quoque omnes alii ad quos confessionis notitia quoquo modo pervenerit.

*Can. 20 (CIC 890)*

§ 1. Omnino prohibetur confessario usus scientiae ex confessione acquitiae, cum poenitentis gravamine, excluso etiam quovis revelationis periculo.

§ 2. Auctoritas quaelibet notitia quam de peccatis in confessione quovis tempore excepta habuerit, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti potest.

*Can. 21 (CIC 891)*

Magister novitiorum eiusque socius, Superior Seminarii aliasve Instituti institutionis sacramentales confessiones suorum alumnorum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni in casibus particularibus sponte et libere id petant.

*Can. 22 (CIC 892)*

§ 1. Parochus aliquique quibus cura animarum vi muneric est demandata, gravi tenentur obligatione per se vel per alium audiendi confessiones fidelium sibi commissorum, qui rationabiliter confiteri petant.

§ 2. Urgente necessitate, quilibet confessarius obligatione tenetur confessiones christifidelium audiendi, et in periculo mortis quilibet sacerdos.

*Can. 23 (CIC 908)*

§ 1. Ad sacramentales confessiones excipendas locus proprius est ecclesia aut oratorium.

§ 2. Quae ultra de sedis confessionalis loco eiusque structura praescribenda sint, ab Episcoporum Conferentia regionis statuantur.

Caput II  
DE SACRAMENTI POENITENTIAE SUBIECTO

*Can. 24* (CIC 901-902)

§ 1. Christifidelis, nisi prorsus ipsi occasio deficiat, gravi tenetur obligatione confitendi omnia peccata gravia post baptismum perpetrata et nondum per claves Ecclesiae directe remissa, quorum post diligentem sui discussiones conscientiam habeat.

§ 2. Commendatur christifidelibus ut etiam peccata venialia confitentur, quae quidem materia sufficiens sunt sacramenti poenitentiae.

*Can. 25* (CIC 903)

Qui aliter confiteri non valet, non prohibetur si velit, per interpretem confiteri, praecavendo abusus et scandala, firmo praescripto can. 19, § 1.

*Can. 26* (CIC 905)

Cuivis christifidi integrum est confessario legitime approbato etiam aliis ritus cui maluerit peccata confiteri, firmo praescripto can. (can. generalis de confessione permissa ministris non-catholicis).

*Can. 27* (CIC 906)

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, obligatione tenetur peccata sua gravia saltem semel in anno fideliter confiteri.

DISCEPTATIO DE SCHEME CANONUM  
«DE POENITENTIA» A REV.MO SECRETARIO AD.  
ADPARATO

*Can. 1* (CIC 870)

Rev.mus quintus Consultor in ultima parte canonis proponit ut antea sermo fiat de pace cum Ecclesia et postea de venia peccatorum, modo sequenti: «...pacem cum Ecclesia et veniam peccatorum quae post baptismum commiserint obtinent».

Rev.mus octavus Consultor non consentit de emendatione a Rev.mo quinto Consultore proposita. Ratio: in *Lumen Gentium*, n. 11, dicitur: «...veniam offensionis Deo illatae ab Eius misericordia obtinent et simul reconciliantur cum Ecclesia». Sermo est antea de venia et postea de reconciliatione cum Ecclesia.

Concordant omnes Consultores ut textus canonis, si canon servandus est, maneat uti est.

### Caput I

#### DE SACRAMENTI POENITENTIAE MINISTRO

*Can. 2* (CIC 871)

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 3* (CIC 872)

Textus placet uti est.

*Can. 4* (CIC 873 et novus)

*Ad § 1:* 1. Rev.mus tertius Consultor in § 1 proponit ut loco «pro universa Ecclesia» dicatur «in universa Ecclesia».

Respondeat Rev.mus primus Consultor quod in Codice habetur «pro».

Explicat Rev.mus Secretarius ad. quod «in» habet indolem localem e contra particula «pro» habet indolem personalem. Idem proponit ut loco «pro universa Ecclesia» dicatur tantum «ubique».

Consultores concordant ut maneat particula «pro».

Rev.mus octavus Consultor proponit ut supprimatur verbum «Cardinales» et in ultima linea dicatur: «nisi Episcopus dioecesanus» loco «nisi loci Ordinarius».

Quoad secundam emendationem a Rev.mo octavo Consultore propositam, Rev.mus Secretarius ad. respondeat quod formula «nisi loci Ordinarius expresse renuerit» est iam approbata in can. 8 emendato de Episcopis (cf. Sessionem IV Coetus «De clericis»).

2. Rev.mus quintus Consultor proponit ut loco «facultate ad confessiones excipiendas» dicatur «facultate ad absolutionem impertiendam», quia censet maioris momenti esse sermonem facere de absolutione impertienda quam de confessione excipienda.

Quoad emendationem a Rev.mo quinto Consultore propositam,

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut potius dicatur: « facultate ad confessio-nes sacramentales excipendas ».

Rev.mus quartus Consultor proponit ex parte sua novam emendatio-nem, scilicet: « facultate absolvendi a peccatis ».

Etiam Rev.mus septimus Consultor proponit propriam emendationem, scilicet: « Facultate ad Sacramentum administrandum », quia haec formula comprehendit tum auditionem peccatorum tum absolutionem peccatorum tum poenitentiam.

Exc.mus secundus Consultor proponit ut textus maneat uti est.

Notat Rev.mus quintus Consultor quod formula « excipere confessio-nes » non includit absolutionem peccatorum.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut dicatur: « ad sacramentum poenitentiae ministrandum ».

Animadvertisit Rev.mus primus Consultor quod hic non agitur tantum de sacramento simpliciter, sed de facultate in determinatos subditos, scili-cet agitur de potestate audiendi confessiones et de facultate eam exercendi in determinatos fideles.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur « ad validam celebra-tionem sacramenti poenitentiae ».

Rev.mus Secretarius ad. non consentit de hac emendatione, quia in ca-none agitur de facultate ministri non de celebratione sacramenti.

Rev.mus Secretarius ad. notat quod tum in can. 3 § 2 tum in can. 4 §§ 1, 2 et 3 sermo fit semper de eadem facultate sine determinatione; prop-terea proponit ut dicatur in can. 4 § 1: « facultate de qua in can. 3 § 1... ».

Placet omnibus.

Rev.mus primus Consultor proponit novam redactionem canonis 4, sci-liset: « facultate ad validam absolutionem peccatorum impertendam et ad confessiones excipendas gaudent Cardinales, Episcopi, presbyteri, etc... ».

Rev.mus tertius Consultor proponit sequentem formulam: « facultate ubique absolvendi a peccatis ».

Consentit Rev.mus Secretarius ad. de hac propositione.

Rev.mus Secretarius ad. summatim exponit varias emendationes a Consultoribus propositas quoad § 1, can. 4:

1) « facultate ad Sacramentum poenitentiae ministrandum » (sextus et septimus Consultores);

2) « facultate absolvendi a peccatis ubique » (tertius Consultor et Se-cretarius ad.);

3) « facultate ad confessiones sacramentales ubique excipendas » (primus, quartus, quintus et octavus Consultores);

4) Textus uti est scilicet: « facultate ad concessiones excipiendas » (secundus Consultor).

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum canonis 4 § 1 modo sequenti emendatum: « facultate de qua in can. 3 § 1 ad potestatem absolvendi ubique in omnes fideles exercendam... etc. ».

Exc.mus secundus Consultor declarat quod in Concilio Vaticano II iam dictum est quod Episcopi omnibus facultatibus gaudent quae ad exercitium pastorale requiruntur.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod utique Episcopi omnibus facultatibus gaudent quae ad exercitium sui ministerii requiruntur, sed solummodo in propria dioecesi.

Rev.mus quartus Consultor proponit sequentem emendationem: « facultate absolvendi ubique omnes fideles gaudent ». Non placet.

Rev.mus quintus Consultor dubium habet de formula « in omnes fideles » quia haec tribui potest fidelibus « etiam non confitentibus ».

Formula a Rev.mo Secretario ad. supra proposita placet omnibus.

3. Rev.mus Secretario ad. querit etiam utrum verbum « Cardinales » manere debeat in canone necne.

Maioritas Consultorum, scilicet, secundus, quartus, tertius, sextus, primus et Secretarius ad. respondet quod verbum « Cardinales » manere debet in textu. Sunt contrarii: quintus, octavus et septimus Consultores.

4. Rev.mus Secretarius ad. petit utrum in can. 4 § 1 dici debeat « loci Ordinarius » an « Episcopus dioecesanus ».

Sunt in favorem formulae « loci Ordinarius » sequentes Consultores: secundus, tertius, sextus, primus et Secretarius ad. E contra sunt in favorem formulae « Episcopus dioecesanus » sequentes Consultores: quartus, septimus et octavus.

Rev.mus quintus Consultor se abstinet a sententia ferenda.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut ante verbum « Cardinales » omittantur litterae « S.R.E. ». Haec emendatio placet omnibus Consultoribus.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut supprimatur particula « et » ante verbum « licite ».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod particula « et » necessaria videtur quia agitur de sola liceitate, supposita quidem validitate.

*Ad § 2:* Rev.mus Secretarius ad. proponit ut supprimatur verbum « habitualiter »; nam facultas concedi potest sive habitualiter ad tempus determinatum vel indeterminatum, sive ad actum.

Placet omnibus.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut loco «probati sunt» dicatur «donati sunt». Placet omnibus.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut supprimantur verba «ubi stuantur» in ultima linea et addatur formula «pro opportunitate» ante verbum «editis».

Non placet haec emendatio quia «pro opportunitate» intelligi potest dupli modo.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut loco «praescriptis a loci Ordinario editis» dicatur tantum «praescriptis loci Ordinarii». Non placet haec suggestio.

Exc.mus secundus Consultor petit cur dicatur in textu «vi commissionis specialis».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod parochus facultatem habet vi officii sed vicarius paroecialis eandem facultatem habet vi commissionis specialis.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut haec facultas audiendi confesiones in dioecesi ubi non habetur nec officium nec domicilium coartetur ad tempus determinatum (unum vel tres menses) quo expleto, sacerdos debet iurisdictionem accipere ab Ordinario loci. Secus etiam per plures annos sacerdos extraneus in dioecesi adesse posse ibique confessiones audire inscius Ordinarius loci. Quae propositio maioritati non placet.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod est alia quaestio quae respicit Ordinarium loci ubi illi actualiter commorantur.

Rev.mus septimus Consultor declarat quod facultati alliganda est condicio ut sacerdos licite absit a propria dioecesi.

Rev.mus primus Consultor declarat quod norma semper in tuto poni debet, et condiciones aliae ad liceitatem non debent hoc principium destruere; validitas actus non cadit ex eo quod sequitur abusus. Principium ergo remanere debet.

Rev.mus quartus Consultor affirmat quod Episcopus potest suspendere facultatem si qui facultatem habet, infra mensem non adit Episcopum.

Notat Rev.mus Secretarius ad. quod de hoc agitur in alio canone.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut adiungatur clausula «firmo praescripto can. 11, § 2», ubi agitur de revocatione.

Rev.mus quartus Consultor declarat quod illa clausula «firmo praescripto can. 11, § 2» non adiungenda est in can. 4.

*Ad § 3:* Rev.mus octavus Consultor proponit ut loco «Superiores» «Moderatores». Haec emendatio placet omnibus.

Ipse declarat quod aliquid dicendum de moderatoribus qui, vi officii, hanc facultatem habent.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod Codex dicebat tantum «ad normam constitutionum» nihil aliud, nunc dicimus quod Moderatores habent facultatem, ipso iure, ubicumque, erga sodales sui Instituti.

Rev.mus octavus Consultor petit utrum facultas extendi etiam quoad famulos possit necne.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod facultas vi can. 514, § 1 extenditur quoad omnes subditos, aliosve in domo die noctuque degentes.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut verbum «ab aliquo» ante «Moderatores» tollatur. Non placet.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut in quarta linea § 3 dicatur: «...ab aliquo Moderatore eiusdem clericalis Instituti...».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod hoc non videtur necessarium.

Rev.mus octavus Consultor ad. quaerit ubi sit subiectum secundae partis paragraphi.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod subiectum est «Presbyteri».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut ponatur «ubicumque» post verbum «facultate». Placet omnibus haec emendatio.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut dicatur «a quovis Moderatores» loco «ab aliquo Superiore». Non placet ut dicatur «a quovis», sed «ab aliquo Moderatore».

#### *Can. 5 (CIC 873)*

Proponitur ut loco «Superiores» ponatur verbum «Moderatores».

Placet.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut deleantur verba «parochus... delegare... nequeunt» in fine § 1, quia idem deberet dici de Cardinalibus et de Episcopis non dioecesanis; id satis eruitur a § 1 canonis sequentis ubi dicitur «solus loci Ordinarius hoc facere potest». Haec propositio placet omnibus.

#### *Can. 6 (CIC 874 et 875)*

Rev.mus septimus Consultor proponit ut supprimantur verba «sive laicorum sive sodalium Institutorum perfectionis» et dicatur tantum «fidelium».

Haec emendatio placet omnibus.

Rev.mus primus Consultor proponit ut tollantur verba «tum saecularibus tum sodalibus Institutorum perfectionis». Placet etiam haec emendatio.

Ultima emendatio est «Moderatores» loco «Superiores», quae placet omnibus.

*Can. 7 (CIC 877)*

Rev.mus tertius Consultor praefert verba «scientia debita» loco «scientia sacra».

Notat Rev.mus quintus Consultor quod in linguam germanicam «scientia sacra» converti non potest, propterea praefert verba «scientia theologica».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur «scientia ad hoc munus debita».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur tantum «de quorum idoneitate aliunde constet».

Haec emendatio placet maioritati Consultorum, exceptis Exc.mo seconde et Rev.mo Secretario ad.

*Can. 8 (CIC 874, § 2)*

Rev.mus octavus Consultor proponit ut in § 1 adiungatur post «presbytero» verbum «saeculari» quia in § 2 agitur de presbytero regulari.

Animadvertisit Rev.mus quartus Consultor § 1 servire posse pro presbyteris regularibus. Concordant omnes ut § 1 maneat uti est. Idem de § 2. Verbum «Moderator» loco «Superior» ut supra ponitur.

*Can. 9 (CIC 878)*

Rev.mus octavus Consultor non amat pericopam «a competenti auctoritate», quia nimis generica.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod melius est dicere «a competenti auctoritate» quam «a Superiore...».

Textus canonis probatur ab omnibus uti est.

*Can. 10 (CIC 879)*

Rev.mus quartus Consultor proponit ut adiungatur verbum «habitualiter» Haec emendatio non placet. Placet textus uti est.

*Can. 11 (CIC 880)*

*Ad § 1:* «Moderator» loco «Superior». Quoad alia, textus placet omnibus uti est.

*Ad § 2:* Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «ubique» sine verbo «terrarum». Placet omnibus.

Rev.mus primus Consultor declarat quod in norma § 2 remanet haec difficultas, scilicet si Ordinarius proprius revocat, alias autem postea concedit facultatem, quid accidit?

Rev.mus octavus Consultor affirmat quod Ordinarius proprius est Episcopus dioecesis in qua sacerdos est incardinatus.

Respondet negative Rev.mus Secretarius ad. et dicit quod Ordinarius proprius *etiam* est ille in cuius dioecesi quis habet domicilium vel quasi-domicilium.

Rev.mus primus Consultor legit can. 94 §, 1 ubi dicitur «sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur». Idem declarat quod pro religiosis, qui non sunt incardinati, Ordinarius habetur tantum ratione domicilii vel quasi-domicilii.

Rev.mus Secretarius ad. una cum Rev.mo primo Consultore ad solvendam difficultatem de variis Ordinariis, proponit ut sequenti modo emendetur can. 4 § 2: «...sive facultate ad confessiones excipiendas donati sunt commissione speciali Ordinarii loci in quo domicilium, eoque deficiente, quasi-domicilium habent...».

Rev.mus septimus Consultor, e contra, praefert ut in can. 11 § 2 dicatur: «...ab uno ex Ordinariis (ratione incardinationis, domicilii vel quasi-domicilii) de quibus in can. 4 § 2».

Exc.mus secundus Consultor petit utrum revocatio facta ab aliquo Ordinario valeat ubique necne.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod revocatio valet ubique, si facta est ab Ordinario ratione incardinationis.

Rev.mus septimus Consultor censet revocationem ubique valere etiam si ab uno ex tribus Ordinariis facta est, salvo iure uniuscuiusque Ordinarii facultatem concedendi pro suo territorio.

Rev.mus tertius Consultor aestimat revocationem ab uno factam valere etiam pro aliis duobus si illi cognoscunt rationem revocationis.

Rev.mus Secretarius ad. declarat quod propositio a Rev.mo septimo Consultore facta est destructio regulae quae principaliter in hoc consistit, quod qui habet facultatem ab uno ex tribus datam ipsa facultate ubique gaudet.

Rev.mus Secretarius ad. proponit quoad substantiam normam sequenti modo et promittit se textum paraturum definitivum:

«habet ubique facultatem qui eam obtinet ab Ordinario proprio ratione domicilii vel, eo deficiente, quasi-domicilii, auditio Ordinatio ratione incardinationis vel auditio moderatore pro religiosis.

Revocatio ab Ordinario ratione domicilii vel quasi-domicilii valet ubique, illa vero facta ab aliquo alio Ordinario valet pro illa dioecesi».

*Ad § 3:* Placet omnibus uti est.

*Ad § 4:* Rev.mus primus Consultor declarat quod melius debet determinari suspensio: nam, ex. gr., si quis suspendatur ab officio docendi certo non perdet iurisdictionem et facultatem ad confessiones excipiendas.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod sacerdos perdet iurisdictio-nem et facultatem ad confessiones excipiendas si suspensus est a divinis aut ab officio cui adnexa est facultas.

Rev.mus septimus Consultor petit utrum sacerdos qui dimittitur iuri-dice a sua communitate religiosa quin inveniat Episcopum benevolum qui eum recipit, privari debeat facultate audiendi confessiones necne.

Respondet Rev.mus primus Consultor quod responsum quaesiti Rev.mi secundi Consultoris invenitur in canone 671.

*Can. 12 (CIC 882)*

Rev.mus primus Consultor proponit ut supprimantur ultima verba, quia sunt superflua. Non placet.

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem emendationem in prima linea: «...licet ad confessiones excipiendas facultate careat...» loco «non approbatus». Placet.

*Can. 13 (CIC 884)*

Rev.mus octavus Consultor declarat quod haec regula se refert ad pec-catum grave.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod haec norma debet esse abso-luta sine distinctione inter peccatum grave et leve.

Instat Rev.mus octavus Consultor proponens ut, si complex committit peccatum veniale et alia peccata confitetur, absolutio sit valida.

Rev.mus Secretarius ad. petit utrum dici debeat peccatum grave necne.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut dicatur « peccatum grave », quia si agitur de peccato levi, complex non tenetur ad confessionem.

Rev.mus septimus Consultor declarat quod relatio illa inter sacerdotem et poenitentem dedecet et ideo Ecclesia debet tollere omnino facultates quae eam relationem fovere possent; hodie materia est magis periculosa.

Maioritas consultorum concordat ut textus maneat uti est, exceptis Rev.mo sexto Consultore qui praefert ut dicatur « peccatum grave » et Rev.mo quarto, qui se abstinet a sententia ferenda.

Distribuitur inter Consultores nova redactio, quam Rev.mus Secreta-rius ad promiserat, canonum 4, 5 et 6, de sacramento poenitentiae.

En textus:

*Can. 4 (CIC 873 et novus)*

§ 1. Facultate de qua in can. 3, § 1, ad potestatem absolvendi ubique in omnes fideles exercendam, praeter Romanum Pontificem, ipso iure gau-

dent Cardinales; itemque Episcopi omnes, sive dioecesani sive non, qui quidem eadem et licite ubique utuntur, nisi loci Ordinarius in casu particulari renuerit.

§ 2. Ipso iure eadem facultate ubique potiuntur quoque presbyteri qui sive vi officii sibi commissi (collati) facultate gaudent ad confessiones excipiendas in suo territorio, sive facultate ad confessiones excipiendas donati sunt commissione speciali Ordinarii loci in quo domicilium, eoque deficiente quasi-domicilium, habent, firmo praescripto can. 3; eadem vero facultate licite utuntur tantum servatis, ubi statuantur, praescriptis a loci Ordinario editis.

§ 3. Ipso iure eadem facultate ubique potiuntur erga sodales Instituti clericalis perfectionis, aliosque de quibus in can. 514 § 1, tum eiusdem Moderatores vi officii facultate gaudentes confessiones excipiendi suorum subditorum, tum presbyteri quilibet ab aliquo eiusdem Instituti Moderatorre ad normam constitutionum competenti pro eius subditis probati; qui quidem eadem et licite utuntur, nisi aliquis Moderator in casu particulari renuerit.

*Can. 5 (CIC 873, §§ 1 et 2)*

§ 1. Vi officii pro suo quisque territorio facultate ad confessiones excipiendas gaudent loci Ordinarius, Canonicus poenitentiarius, itemque parochus aliquie qui loco parochi sunt.

§ 2. Vi officii erga sodales sibi subditos aliosque de quibus in can. 514 § 1, potestate gaudent confessiones excipiendi Moderatores Instituti clericalis perfectionis ad normam constitutionum potestate regiminis exsecutiva fruentes.

*Can. 6 (CIC 874 et 875)*

§ 1. Solus loci Ordinarius competens est qui facultatem ad confessiones quorumlibet fidelium excipiendas commissione speciali conferat presbyteris quibuscumque; presbyteri autem sodales Institutorum perfectionis eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Moderatoris.

§ 2. Superior clericalis Instituti perfectionis ad normam constitutionum potestate regiminis exsecutiva in suos subditos gaudens, competens est qui facultatem ad excipiendas confessiones suorum subditorum aliorumque de quibus in can. 514 § 1 speciali commissione conferat presbyteris, tum sodalibus alicuius Instituti perfectionis tum saecularibus.

DISCEPTATIO DE NOVA REDACTIONE  
CANONUM A REV.MO  
SECRETARIO AD PROPOSITA

*Can. 4*

*Ad § 1:* Rev.mus Secretarius ad. proponit ut verba « ubique in omnes fideles » transferantur post verba « ipso iure ».

Placet textus cum suggestione Rev.mi Secretario ad.

*Ad § 2:* Rev.mus tertius Consultor notat quod in textu non fit sermo de Ordinario loci incardinationis.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod Ordinarius loci domicilii dat facultatem, auditio Ordinario dioecesis incardinationis, et addit Rev.mus primus Consultor quod unitas legislationis exigit ut sermo non fiat de pluribus Ordinariis.

Rev.mus tertius Consultor declarat quod fieri potest ut sacerdos habeat simul domicilium et quasi-domicilium. Tunc respondet Rev.mus Secretarius ad. valet solummodo facultas ab Ordinario loci ubi ille habet domicilium data.

Ipse Rev.mus septimus Consultor petit suffragationem utrum can. 4 § 2 maneat uti est necne.

Omnes Consultores, exceptis Rev.mis octavo qui est contrarius, et tertio qui se abstinet a sententia ferenda, concordant ut textus maneat uti est.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut in ipsa paragraphe adiungantur post « ubique » verba « in omnes fideles ». Placet omnibus. Concordant quoque Consultores ut tollatur verbum « commissi », et servetur « collati ».

*Ad § 3:* Rev.mus octavus Consultor proponit ut in quinta linea loco « probati » dicatur « donati ». Placet omnibus.

Rev.mus septimus Consultor habet difficultatem in ultima linea ubi agitur de moderatione sine alia determinatione. Rev.mus primus Consultor declarat quod Moderator competens est Moderator ad illas personas.

Rev.mus Secretarius ad. affirmat quod debet esse Moderator relate ad subditos.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur in fine: « nisi Moderator quoad proprios subditos in casu particulari renuerit ».

Haec emendatio placet omnibus.

*Can. 5*

*Ad § 1:* Rev.mus Secretarius ad. videt difficultatem in hoc quod canonicus poenitentiarius non habet territorium et proponit ut dicatur « pro

sua quisque dizione» loco «pro suo quisque territorio». Textus cum hac emendatione placet omnibus.

*Ad § 2:* Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «facultate» loco «potestate». Textus cum hac emendatione placet omnibus, additis verbis «excipiendi suorum subditorum aliorumque de quibus in can. 514 § 1».

#### *Can. 6*

Textus canonis placet omnibus uti est.

Rev.mus octavus Consultor ponit quaestionem de vicariis episcopalibus qui sunt Ordinarii loci pro parte territorii dioecesis. Idem proponit ut dicatur in canone quod vicarii episcopales possunt dare presbyteris facultatem audiendi confessiones pro tota dioecesi non solum pro illa parte territorii dioecesis in qua sunt Ordinarii.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. una cum Rev.mo septimo Consultore quod si sacerdos habet domicilium in illa parte territorii in qua Vicarius episcopal is est Ordinarius, facultas a Vicario concessa valet pro toto mundo, secus facultas valet tantummodo pro illa parte territorii in qua Ordinarius est Vicarius episcopal is qui facultatem concessit.

Statim post recognitionem secundi schematis canonum 4, 5 et 6, transitus fit ad disceptationem canonum primi schematis. Recognitio incipitur denuo a canone 7.

#### *Can. 7*

Textus placet cum emendationibus iam factis.

#### *Can. 8*

*Ad § 1:* Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur «presbytero saeculari alias dicionis» loco «extraneo».

Rev.mus septimus Consultor praefert ut verbum «extraneo» maneat in textu.

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem emendationem: «presbytero saeculari, etsi domicilium vel quasi-domicilium in sua dizione habenti, ne concedat nisi...».

Textus hoc modo emendatus placet omnibus.

*Ad § 2:* Textus placet omnibus uti est, mutato verbo «Superiore» in «Moderatore».

#### *Can. 9*

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 10*

Textus placet uti est.

*Can. 11*

*Ad § 1:* Textus placet uti est.

*Ad § 2:* Exc.mus secundus Consultor proponit ut revocatio facta ab aliquo Ordinario notificetur Ordinario incardinationis.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut adiungatur alia paragraphus post § 2 et statim componit textum sequentem:

«§ 3. Quilibet loci Ordinarius qui alicui presbytero revocaverit facultatem ad confessiones excipendas, certiores reddat Ordinarium ratione incardinationis presbyteri proprium aut, si agatur de sodali Instituti perfectionis, eiusdem competentem moderatorem».

Rev.mus quartus Consultor censet Ordinarium indicare debere rationes revocationis.

Rev.mus secundus Consultor aestimat hoc in Codice non dicendum esse, quia non potest dari obligatio canonica: si Ordinarius rationes revocationis praebere noluerit, posset iudicialiter agi.

Rev.mus septimus Consultor suggerit ut in textu ponatur aliqua insertionis prudens.

Consultores omnes, excepto Rev.mo septimo qui vult aliquam prudentem insertionem, sunt in favorem textus a Rev.mo Secretario ad. propositi.

*Ad § 3 (quae fit § 4):* Textus placet omnibus uti est.

*Ad § 4 (quae fit § 5):* Rev.mus Secretarius ad. ponit quaestionem de suspensione num scilicet necessarium sit melius eam determinare. In iure poenali can. 2279 dicitur: «Suspensio ab officio simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis». Ergo, concludit Rev.mus Secretarius ad. textum § 4, quae fit § 5, videtur sufficientem esse.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut adiungatur post verbum «sacerdos» clausula «ad normam iuris poenalis».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut pro nunc textus relinquatur uti est, quia materia hodie determinari non potest.

Concordant omnes de propositione hac, itaque textus manet uti est.

*Cann. 12 et 13*

Textus placent omnibus uti probati iam sunt.

*Can. 14*

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 15*

Rev.mus quartus Consultor praeferit ut in fine dicatur uti in fine can. 2363 « nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit... ».

Idem Rev.mus quartus Consultor declarat quod in textu omissus est casus de obligatione denuntiationis.

Respondeat Rev.mus Secretarius ad. quod ille casus omissus est propter impossibilitatem sese defedendi.

Textus canonis placet uti est.

*Can. 16*

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut prius ponatur « misericordiae » et postea « iustitiae ». Placet haec inversio.

Rev.mo tertio Consultori non placent verba « animo pastorali ».

Rev.mus quintus Consultor notat quod Sacraenta debent habere finem quoque pastoralem; tamen censem materiam canonis ad pastoralem pertinere.

Etiam Rev.mus tertius Consultor declarat quod in hoc sacramento habetur specialis ratio ut in canone dicatur aliquid de animo pastorali.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur « benigno animo ». Non placet haec emendatio.

Omnes Consultores, excepto Rev.mo tertio, concordant ut textus maneat uti est.

*Can. 17*

Consultores consentiunt de suggestione Rev.mi primi Consultoris qui proponit ut verba « quos ad integratatem confessionis requiri aestimet » deleantur, quia videntur sufficere verba sequentia, scilicet: « maxima cum prudentia et discretione procedat ». Placet emendatio.

Idem Rev.mus primus Consultor aestimat clara non esse ultima verba canonis, scilicet « ...abstineatque a quaestionibus quae ad alias determinatas personas attinent ».

Ideo Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem emendationem: « abstineatque a quaestionibus quae ad aliarum personarum peccata attinent ». Etiam haec emendatio placet omnibus.

*Can. 18*

Rev.mus septimus Consultor proponit ut loco «de qualitate» dicatur «pro natura». Non placet. Rev.mus octavus Consultor praefert formulam Codicis, scilicet «pro qualitate et numero». Rev.mus quartus Consultor proponit formulam Concilii Tridentini, Sess. XIV, Denz. 905 (1692), scilicet «pro qualitate criminum et poenitentium facultate».

Concordant omnes ut dicatur «pro qualitate et numero». Quoad alia textus canonis probatur.

*Can. 19*

*Ad § 2:* Rev.mus quintus Consultor proponit ut deleatur verbum «inviolabile», quia confusio oriri potest cum praescripto § 1. Placet omnibus.

Rev.mus septimus Consultor declarat quod a secreto servando excusat incommodum grave.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut dicatur «ex confessione notitia» loco «confessionis notitia», quia tenetur secreto certius qui directe ex confessione notitiam audivit. Placet.

Rev.mus Secretarius ad. notat quod verba «quoque modo» se referunt ad eos ad quos «directe» notitia pervenerit.

Exc.mus secundus Consultor declarat quod omnes qui directe cognoscunt ex confessione, etiam qui fraude audiverunt, tenentur sigillo; qui vero extra confessionem indirecte notitiam audiverunt, tenentur secreto.

Rev.mus quintus Consultor affirmit quod interpres tenetur sigillo ex natura rei quia est pars essentialis ritus confessionis; non vero ex natura rei qui fraude cognovit, sed potes iure positivo ita obligari.

Disceptatio de canone 19 continuat, postquam Rev.mus primus Consultor aliquam investigationem de sigillo sacramentali fecit.

Admonet Consultores de textu maximi momenti A. Reiffenstuel, Lib. V, Decret. tit. XXXVIII de Poenitentiis, n. 2, ubi legitur:

«Quae sint poenae violantium sigillum confessionis sacramentalis? Ante respcionem suppono, *et naturam*, et gravissimam obligationem servandi sigillum Sacramentale, seu *non revelandi sed secreta tenuendi peccata cuncta, quorum notitiam ex sola confessione sacramentali, etiam simulata, vel alias invalida, vel occasione confessionis sacramentalis habemus*, adeo, ut etsi ad illud principaliter, et primario obligetur sacerdos confessionem sacramentalem percipiens; secundario tamen, et per accidens etiam reliqui qui cunque tandem ad idem teneantur, ad quos notitia alicuius peccati in confessione sacramentali detecti, sive immediate, sive mediate, sive iuste, sive iniuste devenit, ut proin praeter alios etiam sequentes graviter teneantur ad sigillum

*videlicet*, qui potestate absolvendi carentes, peccata bona fide confitentis, vel ex ignorantia, vel malitia exceperunt, *qui confitenti prope adstantes unum vel plura peccata illius etiam contra voluntatem suam, vel ex industria audierunt*; qui alterius peccata....».

Hic solvitur difficultas: qui indirecte cognoscit notitiam ex confessione, primario non ligatur sigillo sacramentali, et cognitione mediata non secundum fert obligationem ad secretum sacramentale, primario sed secundario; scilicet non ratione personae sed ratione rei: transmittitur scilicet notitia semper cum illa indole.

Norat Rev.mus primus Consultor quod in commentariis distinctio inter sigillum et secretum non invenitur.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod etiam in Codice non fit illa distinctio, et ideo explicatur doctrina in commentariis, sed nobis visum est distinctionem esse faciendam.

Rev.mus septimus Consultor tenet differentiam adesse inter sacerdotem, interpretem atque alios, quia sacerdos et interpres sunt instrumenta necessaria.

Idem Rev.mus septimus Consultor sequentes quaestiones:

- 1) utrum qui peccata casu audit prope confessionalem, teneatur sigillo necne;
- 2) utrum qui extra confessionem, per inadvertentiam confessarii, audit aliquid de confessione, teneatur sigillo necne. Notat quod distinctiones difficillimae fiunt.

Em.mus Praeses monet Consultores ut caveant ne textus Codicis mutetur quia si verum est quod est alia differentia inter notitiam directe habitam ex confessione et illam indirecte cognitionem, tamen nescit utrum expressio novi textus sit complexiva omnium casuum necne.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur in textu «ex ipsa confessione» loco «confessionis». Placet.

Rev.mus tertius Consultor explicat quod Codex etiam in secunda parte de «sigillo» non vero de «secreto» loquitur.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod magni momenti est differentia inter eos qui notitiam habent in ministerio exercendo et illos qui casu et non ex confessione directe eam tenent. Ergo censet opportunam esse distinctionem inter sigillum et secretum.

Rev.mus primus Consultor admittit differentiam illam, sed affirmat quod agitur semper de sigillo sacramentali, quia si aliqua notitia habetur ex confessione res pertinet semper ad confessionem, et notitia est ex confessione.

Rev.mus septimus Consultor explicat quod proprium sigilli sacramen-

talis est quod ab eo numquam confessarius excusatur, quia gravissimum damnum inde exsurgere potest. At iste petit utrum qui casu audivit notitiam et ei periculum mortis imminet teneatur sigillo necne ».

Rev.mus septimus Consultor petit iterum utrum confessarius qui deneget absolutionem patienti quia desunt in eo conditiones confessionis, tenetur an non sigillo sacramentali, si poenitens, ex.gr.se velle occidere Regem declaraverit.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod ille confessarius non tenetur sigillo sacramentali.

Em.mus praeses animadvertisit quod relatio inter confessarium et poenitentem certo diversa est quam relatio inter poenitentem et alios: inter confessarium et poenitentem est quasi contractus.

Exc.mus secundus Consultor declarat quod si microfonium a « polizia » ponitur in confessionali, ille qui audit habet notitiam ex confessione et ideo secreto graviter tenetur.

Em.mus praeses petit ut suffragium fiat utrum diverso modo loquendum sit necne de obligatione secretum servandi qua tenentur confessarius et interpres et de obligatione qua tenentur alii; scilicet quaerit utrum in § 1 sermo fieri debeat de sigillo, e contra, in § 2 sermo fieri debeat de secreto.

Omnes Consultores, exceptis Rev.mis quarto, tertio et primo, concordant ut retineatur differentia.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut ante verbum « obligatione » in § 2 dicatur « gravi ». Placet omnibus.

#### Can. 20

*Ad § 1:* Rev.mus septimus Consultor proponit ut verbum « excluso » ponatur post « periculo ». Placet omnibus.

*Ad § 2:* Rev.mus septimus Consultor proponit ut loco « auctoritas » dicatur « qui ». Non placet.

Rev.mus primus Consultor declarat quod quando absit gravamen poenitentis, confessarius uti potest scientia ex confessione acquisita, scilicet confessarius potest aliquid dicere de virtutibus poenitentis, cui, ex. gr. conferri debet aliquid officium.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod hoc non potest admitti quia confessarius numquam uti potest scientia confessionis.

Rev.mus primus Consultor non videt differentiam essentialem inter primam et secundam paragmphum: ergo censem § 2 deleri posse.

Rev.mus Secretarius ad. censem adesse differentiam: v.gr. non potest dari promotio, quia cognoscitur absentia peccatorum.

Concordant omnes ut textus canonis maneat uti est.

*Can. 21*

Rev.mus Secretarius ad. proponit «educationis» loco «institutionis». Placet. Quoad alia textus placet omnibus uti est.

*Can. 22*

*Ad § 1:* Rev.mus Secretarius ad. proponit verbum «excipiendo» loco «audiendi». Placet omnibus.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut ponatur aliqua distinctio inter munus parochi et munus aliorum, et declarat quod modus dicendi in textu non est clarus.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut post «obligatione» dicatur «officium adimplendi per se vel per alium excipiendo confessiones». Non placet.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut post «obligatione» dicatur «ut a se vel ab alio excipientur confessiones fidelium sibi commissorum...». Haec emendatio placet omnibus.

*Can. 23*

Textus placet omnibus uti est.

Ad caput quod attinet de reservatione peccatorum omnes Consultores in ultima sessione convenerunt ut supprimatur.

Rev.mus Secretarius ad. petit utrum tenenda sit possilitas reservatio- nis peccatorum «ratione sui» pro Episcopis necne.

Concordant omnes ut haec possilitas reservationis pro Episcopis sup- primatur.

## Caput II

## DE SACRAMENTI POENITENTIAE SUBIECTO

*Can. 24*

*Ad § 1:* Rev.mus octavus Consultor proponit ut supprimantur verba «nisi prorsus ipsi occasio deficiat». Placet omnibus. Quoad cetera textus maneat uti est.

*Ad § 2:* Rev.mus septimus Consultor declarat quod peccata venialia non sunt proprie materia sacramenti et proponit ut dicatur «quae quidem materiam sufficientem praebent ad sacramentum poenitentiae».

Rev.mus quintus Consultor concordat cum Rev.mo septimo Consultore sed praefert ut textus maneat uti est, quia si peccata etiam venialia sunt obiecta confessionis ut talia vocari debent «materia sacramenti».

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit quod hoc non pertinet ad rem iuridicam.

Textus placet omnibus uti est.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut in Capite II de subiecto poenitentiae praescriptum can. 27, coniungatur cum can. 24.

Rev.mus septimus Consultor proponit e contra ut Caput II incipiat cum can. 24 et post hunc canonem ponatur can. 27, quia norma can. 24 est amplior quam norma can. 27.

Concordant omnes ut post canonem 24 subsequatur can. 27.

#### *Can. 27 (qui fit 25)*

Rev.mus septimus Consultor proponit ut sermo non fiat de «ad annos discretionis», sed de condicione discretionis, quia discretio non ligatur ad annos; propterea proponit ut dicatur «ad discretionem animi».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut verbum «ad annos» tollatur et dicatur tantum «ad discretionem pervenerit».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur «tempus discretionis».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut verba «postquam ad annos discretionis pervenerit» deleantur, quia qui peccatum grave committit debet esse capax peccati, scilicet annos discretionis habere debet, ergo censem illa verba esse superflua.

Exc.mus secundus Consultor praefert ut dicatur «sufficientem discretionem».

Rev.mus primus Consultor proponit ut textus maneat uti est quia cum verbis «ad annos discretionis» habetur elementum iuridicum externum et cum verbo «discretio» habetur elementum internum subiectivum quod explicat capacitatem in subiecto ad illa peccata gravia committenda.

Omnes Consultores, excepto Rev.mo tertio, concordant ut textus maneat uti est.

#### *Can. 26*

Rev.mus quintus Consultor proponit ut loco verborum «per interpretem confiteri» dicatur «quominus per interpretem confiteatur». Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut loco «praecavendo» dicatur «prae-caveantur».

Exc.mus secundus Consultor praefert sequentem formulam «remotis abusibus et scandalis...».

Rev.mus quintus Consultor praefert verbum «praecaveri».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «vitatis quidem abusibus et scandalis». Haec emendatio placet omnibus.

Ergo textus admittitur cum emendationibus Rev.morum quinti Consultoris et Secretarii ad.

*Can. 27*

Textus placet omnibus uti est.

SCHEMA CANONUM  
«DE SACRAMENTIS IN COMMUNI»

En textus canonum qui proponitur:

*Can. 731*

Sacramenta Novae Legis, a Christi Domino instituta et Ecclesiae concredata, praecipua sunt sanctificationis et salutis media, magnopere conferunt ad communionem ecclesiasticam inducendam aut firmandam atque regale Populi Dei sacerdotium manifestant. Quapropter in iis opportune riteque celebrandis veneratione debitaque diligentia uti debent tum sacri ministri tum ipsi fideles (cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 14, 26, 27, 28 et 59).

*Can. 731 bis*

Ad Sacra menta admitti possunt catholici, qui rite dispositi sunt. Ceteri vero christiani, qui nempe communionis ecclesiasticae plene non sunt participes, si bona fide inveniantur, rite sint dispositi et sponte id petant, ad quaedam sacramenta, secluso semper scandalo, admitti possunt, secundum praescripta canonum (qui infra recensendi sunt). Ad eadem numquam admitti valent qui non sunt per baptismum Ecclesiae incorporati.

*Can. 732*

§ 1. Sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis, quippe quae characterem imprimant, iterari nequeunt.

§ 2. Si vero prudens dubium exsistat num revera aut num valide collata fuerint, censenda sunt non fuisse collata, ita ut conferri debeant.

*Can. 733*

§ 1. In sacramentis ministrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et caeremoniae quae in libris ritualibus a competente auctoritate probatis praecipiuntur (cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 63).

§ 2. Unusquisque suum ritum sequatur, salvis praescriptis cann. 851 § 2, 866, et... (alii postea indicandi).

*Can. 734*

§ 1. In ministrandis sacramentis, in quibus sacra olea adhibenda sunt, ministri utantur oleis quae ab Episcopo feria V in Coena Domini proxime superiore benedicta sunt, nec veteriora adhibeant, nisi necessitas urgeat.

§ 2. Oleo benedicto deficiente, si Episcopus adiri nequeat, sacerdos sacramenta legitime ministrans olea benedicere valet.

*Can. 735*

§ 1. Parochus olea sacra a proprio Episcopo impetrat, eaque in Ecclesia, decenti custodia, diligenter asservet.

§ 2. Cuilibet sacerdoti licet oleum infirmorum secumferre, ut, in casu necessitatis, unctionem infirmorum ministrare valeat.

*Can. 736*

Pro sacramentorum administratione minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte petat, salvo praescripto can. 1507 § 1.

DISCEPTATIO DE SCHEME CANONUM  
DE SACRAMENTIS IN COMMUNI

*Can. 1* (CIC 731)

Textus placet omnibus uti est.

*Can. 2* (CIC 731 bis)

Rev.mus septimus Consultor difficultatem habet circa verbum «possunt»: id nam sonat veluti gratiosam concessionem, quod non omnino

consonat cum textu *Lumen Gentium*, n. 37: « Laici, sicut omnes christifideles, ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et sacramentorum adiumenta a sacris Pastoribus abundanter accipiendi... ».

Concordant omnes alii Consultores ut textus maneat uti est.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut loco huius canonis ponatur canon generalis iam probatus in Sessione VIIa, scilicet:

*Canon Generalis* (CIC 731 § 2)

§ 1. Salvis huius canonis §§ 2, 3 et 4, ministri catholici sacramenta licite administrant solis christifidelibus catholicis, atque iidem christifideles a solis ministris catholicis eadem licite recipiunt.

§ 2. Quoties necessitas id postulet aut vera spiritualis utilitas id suadeat, licet christifidelibus catholicis quibus physice aut moraliter impossibile est accedere ad ministrum catholicum, sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum recipere a ministris non catholicis, in quorum Ecclesia valida habentur praedicta sacramenta.

§ 3. Ministri catholici licite sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum administrant christifidelibus orientalibus plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui sponte id petant et rite sint dispositi.

§ 4. Si adsit periculum mortis aut urgeat necessitas, persecutionis aut in carcere inclusionis ratione, aliave, de iudicio Episcoporum conferentiae aut loci Ordinarii, gravis necessitas, ministri catholici licite eadem sacramenta administrant ceteris quoque christianis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui ad propriae communionis ministrum accedere non valent atque sponte id petant, dummodo tamen fidem quoad eadem sacramenta consentaneam fidei Ecclesiae catholicae manifestent et rite sint dispositi (cf. Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 27; *Directorium de re oecumenica*, nn. 42-47 et 55).

Idem Rev.mus Secretarius ad. proponit ut adiungatur, uti § 5, textus sequens: « Ad sacramenta numquam admitti valet qui non sunt per baptismum Ecclesiae incorporati ».

Rev.mus octavus Consultor proponit ut dicatur « ad alia sacramenta ».

Concordant omnes ut textus a Rev.mo Secretario ad. proposito maneat uti est et ut adiungatur § 5 proposita.

*Can. 3* (CIC 732)

*Ad § 1:* Placet omnibus uti est.

*Ad § 2:* Rev.mus septimus Consultor declarat quod haec redactio remansit aliquo modo in suspenso: nam quaerebatur melior formulatio. Tentamen pro ulteriori emendatione:

«Si vero, accurata investigatione peracta, prudens dubium persistat num revera aut num valide collata fuerint, ad dubium tollendum et bonum subiecti tum Ecclesiae prospiciendum, rite conferantur».

Sic vitatur praesumptio quae potest videri odiosa, saltem in contextu oecumenico.

Omnes alii Consultores concordant ut textus canonis maneat uti est.

*Can. 4 (CIC 733)*

*Ad § 1:* Rev.mus octavus Consultor proponit ut dicatur «in Sacramentis celebrandis» loco «in Sacramentis ministrandis et suscipiendis...». Haec emendatio non placet. Proponit etiam ut dicatur «libris liturgicis» loco «ritualibus». Haec vero emendatio placet omnibus.

*Ad § 2:* Rev.mus septimus Consultor facit in voto sequentes observationes:

«Haec formulatio non valde placet, nam primo saltem visu appetit restrictiva, et insuper quia non paucae exceptions sunt admittenda quae principium generale satis extenuant. Si commendatio est facienda generalis, oportet tamen distinguere inter sacramenta et sacramenta. Non est dubium quin ritus omnino sequendus sit, extra casum necessitatis, in celebrazione baptismi et matrimonii. Adhuc strictior necessitas invenitur, meo iudicio, in sacramento Ordinis. Ad sacramentum baptismi quod attinet, cf. can. prop. 10 (vid. Acta Sess. IV), vel 11 (vid. Acta Sess. VI); quoad sacramentum Ordinis cf. can. prop. 955, § 2, prout habetur in actis Sess. I Nihil omnino scio quid dicatur in novis canonibus de matrimonio de hac re. Si vero considerantur reliqua quattuor sacramenta, res aliter se habet. Pro confirmatione administranda restrictio ratione ritus non datur nisi ad ministros presbyteros quod attinet. cf. can. 7 propositum (vid. Acta Sess. VI). Pro recipienda SS.ma Eucharistia, principium amplissimae libertatis statutum fuit (cf. can. prop. 23; vide Acta Sess. VII). Si agitur de sacramento poenitentiae, acta non habeo, sed puto, ni fallor, rem consideratam non fuisse. Praxis vero, et necessitas fidelium praesertim, mihi videntur postulare ut etiam pro hoc sacramento recipiendo maxima habeatur libertas. Ceterum vix loqui potest de «ritu» in hoc sacramento, saltem in liturgia latina adhuc vigente. Quoad sacramentum denique unctionis infirmorum, in praxi frequentissime petitur quando iam adest casus necessitatis, ideoque parum confert principium generale statuere quod in facto evacuatur.

His dictis, propono ut textus probatus emendetur hoc vel simili modo:

«Salvis praescriptis canonum... (de baptismo; de Ordine et de matrimonio), fideles sacramenta confirmationis, SS. Eucharistiae, poenitentiae et unctionis infirmorum, iusta de causa, in quolibet catholico ritu accipere possunt».

Et puto quod haec formulatio respondit animadversioni Ill.mi D.ni Secretarii ad. (cf. Acta Sess. I).

Rev.mus Secretarius ad. animadvertisit textum § 2, a Rev.mo septimo Consultore in suo voto propositum, admitti non posse quia principium remanere debet quod unusquisque sacramenta recipere debet in suo proprio ritu salvis exceptionibus quae postea indicabuntur.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit quod textus § 2 valet pro suscipiente, non pro ministro sacramenti et quod hic poni debet regula generali de ministro.

Respondet Rev.mus septimus Consultor quod pro ministro sufficit quod dictum est in § 1.

Rev.mus Secretarius ad. censet etiam in § 2 sermonem de ministro fieri posse et proponit sequentem textum: «Minister sacramenta conferat secundum suum proprium ritum».

Rev.mus octavus Consultor proponit verbum «celebrat» loco «conferat». Non placet. Idem Rev.mus octavus Consultor proponit ut § 2 omittatur quia aestimat sufficiens esse quod in singulis sacramentis dicitur de ritu.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut textus maneat uti est; nam emendatio, propter multas exceptiones, perdifficilis videtur.

Rev.mus tertius Consultor non videt qua causa § 2 emendari debeat.

Concordant omnes ut accipiatur formula a Rev.mo Secretario ad. proposita, scilicet: «Minister sacramentum conferat secundum suum proprium ritum, salvis praescriptis cann. 851 § 2, 866 etc...».

#### *Can. 5 (CIC 734)*

Rev.mus septimus Consultor facit in voto sequentes observationes:

«§ 1. Placet, sed adhuc proponerem ut post verbum «Episcopo» addatur «*proprio*».

§ 2. Principium hoc explicite admissum fuit in canone 8 iam probato de sacramento unctionis infirmorum (cf. Acta Sess. V, cum additione textus qui invenitur in eodem fasciculo actorum); sed neque in canonibus

iam probatis de sacramentis confirmationis (cf. Acta Sess. VI, can. 1, § 2), neque in novo ordine sacramenti confirmationis (cf. «Praenotanda», n. 10), aliquid dicitur de generali aliqua concessione presbyteris facta ad consecrandum chrisma, saltem in aliquibus adiunctis. Porro in celebratione baptismi, inter «aptationes quae Conferentiae Episcopales et Episcopi facere possunt» legitur «Unctio catechumenorum omitti potest» (cf. *Ordinem baptismi parvolorum*, «Praenotanda», sub n. 24, 2). Norma igitur huius canonis 734 § 2 non videtur necessaria et deleri potest».

Animadvertisit Rev.mus quintus Consultor una cum Rev.mo tertius Consultor consecrationem chrismatis reservandam esse Episcopo.

Rev.mus quartus Consultor legit textum *Ordo benedicendi oleum catechumenorum et infirmorum et conficiendi chrisma*, nn. 6, 7, 8 de Ministero:

«6. Consecratio chrismatis soli Episcopo competit.

7. Oleum catechumenorum, si eius usus de iudicio Conferentiae Episcopalis retinetur, ab Episcopo una cum aliis oleis, in Missa chrismatis benedicitur.

Attamen, facultas tribuitur sacerdotibus oleum catechumenorum benedicendi, quando agitur de baptimate adulorum, ante unctionem in gradu respectivo catechumenatus.

8. Oleum in Unctione infirmorum adhibendum debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo aut a presbytero qui vi ipsius iuris aut peculiaris concessionis Sanctae Sedis hac facultate gaudet.

Ipso iure olem adhibendum in Unctione infirmorum benedicere possunt:

- a) qui iure Episcopo dioecesano aequiparatur;
- b) in casu verae necessitatis, quilibet presbyter».

Rev.mus Secretarius ad. una cum Rev.mo septimo Consultore proponit ut § 2 omittatur: sacri chrismatis consecratio affirmatur reservari Episcopo; ad alia olea quod attinet, praescripta habentur ubi de singulis sacramentis.

Haec propositio placet omnibus Consultoribus.

*Ad § 1:* Rev.mus tertius proponit ut in § 1 omittantur verba «feria V in Coena Domini». Ratio: in *Ordo conficiendi chrisma*, n. 9 non datur norma stricta sed dicitur «de more fit ab Episcopo feria V...».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «ab Episcopo recenter benedicta...».

Exc.mus secundus Consultor declarat quod verba «in Coena Domini» servari debent.

Rev.mus sextus Consultor declarat quod consecratio chrismatis in sua dioecesi non fit tantum in feria V sed etiam in aliis diebus.

Exc.mus secundus Consultor proponit ut dicatur: «...ab Episcopo ex more benedicta...».

Rev.mus quartus Consultor proponit formulam sequentem: «Salvis praescriptis canonum necnon legibus liturgicis».

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum § 1 sequenti modo emendatum:

«In ministrandis sacramentis, in quibus sacra olea adhibenda sunt, ministri utantur oleis ab Episcopo benedictis, salvis exceptionibus iure admissionis; olea adhibeant recenter benedicta nec veterioribus utantur, nisi necessitas urgeat».

Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. ut § 2 proponit sequentem textum:

«Olea de quibus in § 1 sint ex olivis aut aliis ex fructibus vel plantis».

Placet omnibus.

#### *Can. 6 (CIC 735)*

Textus placet omnibus uti est.

#### *Can. 7 (CIC 736)*

Rev.mus septimus Consultor declarat quod iura stolae psychologiae hominis hodierni amplius non respondent et proponit ut hic canon deleatur; si vero iudicatur hunc canonem servandum esse, tunc proponit ut deleantur verba «salvo praescripto can. 1507 § 1».

Idem proponit attentioni Consultorum textum sequentem Synodi «de sacerdotio ministeriali» et petit ut ipsi votum exprimant, ita ut qui confidere debent can. 1507 § 1 hunc textum pree oculis habeant. En textus:

«Iura stolae, quae sat communi fidelium aestimatione aequiparantur practice alicui contractui emptionis-venditionis, unde repulsio dignitur apud fideles nec non multos sacerdotes, praesertim iuniores; ...Iura stolae psychologiae hominis hodierni amplius non respondent. Quamvis non adeo facile sit illa substituere, enixe curandum est ut aliter cleri sustentationi provideatur. Forsitan magis inculcandum est principium secundum quod unusquisque fidelis debet necessitatibus Ecclesiae subvenire, quin

hoc fiat sub specie alicuius contractus occasione sacramentorum celebratio-nis inici ».

Consultores adprobant observationes a Rev.mo septimo Consultore factas sed concordant ut textus maneat uti est.

### DISCEPTATIO DE INDULGENTIIS

Rev.mus tertius Consultor ponit tres sequentes quaestiones uti sunt in suo voto, scilicet:

*Prima quaestio* quae occurrit est circa *locum* ubi canones de hac re ponuntur. Ultimis saeculis mos invaluit tractandi hanc materiam immediate post sacramentum Poenitentiae et ratio huiusmodi ordinationis est quia indulgentiae conceduntur ad medelam reatus poenae ex peccato provenientis. Accedit sententia P. Caroli Rahner, qui putat indulgentias operari «ex opere operato», unde aliqua similitudo habetur cum sacramentis. Tamen certum est concessionem et obtentionem indulgentiarum dici non posse actus stricte sacramentales, et variis quidem ex causis. Nihilominus aliquo modo pertinent ad oeconomiam sacramentalem Ecclesiae. Meo humili iudicio disceptandum esset utrum ordinatio Codicis retinenda sit, vel potius hanc materiam post expletam tractationem de septem sacramentis inserere expedit, quod forsitan melius esset ad confusiones vitandas.

*Secunda quaestio* est de *amplitudine* legislationis de indulgentiis. Non est dubium quin sint hac in re plurima quaestiones quae canonice determinari possunt et forsitan debent. Tamen ex altera parte videtur certum quod populus christianus et etiam Ecclesiae Pastores non nimis insistunt in indulgentiis acquirendis, et hoc accidit non quia doctrinam recusent aut indulgentias spernant, sed potius quia nostris temporibus magis attenditur ad celebrationem sacramentorum et praesertim SS. Eucharistiae, nec non ad opera christiana vitae sub respectu «operis operantis». Quaeritur ergo utrum expedit in novo Codice de hac re longius agere, vel tantum summa capita recolere. Si vero tractationem breviorem praefertur pro textu Codicis, tunc documenta recentiora essent in «appendicibus» inserenda, qui agendi modus non videtur ita «practicus».

*Tertia denique quaestio* respicit *textum* qui inservire debet tamquam «basis» animadversionum et disceptionum nostri Coetus. Iamvero ex Decreto Sacrae Poenitentiariae Apostolicae d. 29 iunii 1968 constat Summum Pontificem abrogasse ordinationes in Codice contentas quae in

«Normis» de eadem materia ab eodem Dicasterio publici iuris factis non recensentur. Videtur ergo tamquam «basim» nostri laboris praedictas «Normas» esse assumendas, quarum textus invenitur in fasciculo *Enchiridion indulgentiarum*, accuratissime edito typis Poliglottis Vaticanis anno 1968 (altera impressio), pp. 11-14.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut tamquam basis disceptationis normarum indulgentiarum assumatur textus qui invenitur in fasciculo *Enchiridion indulgentiarum* ex S. Poenitentiaria Apostolica dato, die 29 iunii 1968. Consentient de hoc omnes Consultores.

En textus uti invenitur in *Enchiridion indulgentiarum*, p. 17.

#### NORMAE DE INDULGENTIIS

1. Indulgentia est remissio coram Deo poenae temporalis pro peccatis, ad culpam quod attinet, iam deletis, quam christifidelis, apte dispositus et certis ac definitis condicionibus, consequitur ope Ecclesiae quae, ut ministra redemptionis, thesaurum satisfactionum Christi et Sanctorum auctoriative dispensat et applicat.

2. Indulgentia est partialis vel plenaria prout a poena temporali pro peccatis debita liberat ex parte aut ex toto.

3. Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis vitam degentibus applicare.

4. Indulgentiae sive partiales sive plenariae possunt semper defunctis applicari in modum suffragii.

5. Indulgentiae partialis concessio his tantum verbis significatur: «indulgentia partialis», nulla addita dierum vel annorum determinatione.

6. Christifidelis qui, corde saltem contritus, peragit opus indulgentia partiali ditatum, tribuitur ope Ecclesiae tantadem poenae temporalis remissio, quantam ipse sua actione iam percipit.

7. Divisio indulgentiarum in personales, reales et locales, non amplius adhibetur, quo clarius constet indulgentiis ditari christifidelium actiones, quamvis cum re vel loco interdum coniungantur.

8. Praeter Romanum Pontificem, cui totius spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri, quibus id expresse a iure concessum est.

9. In Romana Curia, Sacrae dumtaxat Paenitentiariae demandantur ea quae spectant ad concessionem et usum indulgentiarum; salvo tamen iure Congregationis pro Doctrina Fidei videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa easdem indulgentias attingunt.

10. Inferiores Romano Pontifice nequeunt:

1° Facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id eis a Sede Apostolica expresse fuerit indultum;

2° Eidem operi, cui iam a Sede Apostolica vel ab alio indulgentia concessa sit, aliam adiungere, nisi novae conditiones adimplendae praescrabantur.

11. Episcopi dioecesani aliique in iure ipsis nequiparati, ab inito pastorali munere, ius habent:

§ 1. Concedendi indulgentiam partialem personis vel in locis suae iurisdictionis;

§ 2. Benedictionem Papalem cum indulgentia plenaria, secundum praescriptam formulam, impertiendi in sua quiske dioecesi ter in anno, festis sollemnibus ab ipsis designandis, etiamsi iidem Missae sollemni adstant tantum.

12. Metropolitae possunt indulgentiam partialem in dioecesibus suffraganeis sicut in propria dioecesi concedere.

13. Patriarchae possunt indulgentiam partialem concedere in singulis locis sui patriarchatus, etsi exemptis, in ecclesiis sui ritus extra terminos patriarchatus, et ubique pro fidelibus sui ritus. Idem concedere possunt Archiepiscopi Maiores.

14. Cardinales facultate gaudent concedendi indulgentiam partialem in locis vel institutis ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis; item in aliis locis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, acquirendam.

15. § 1. Indulgentiarum libri omnes, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, ne edantur sine licentia Ordinarii vel Hierarchae loci.

§ 2. Requiritur vero expressa licentia Sedis Apostolicae ut typis edere liceat, quovis idiomate, collectionem authenticam precum piorumque operum quibus Sedes Apostolica indulgentias annexuit.

16. Qui a Summo Pontifice impetraverint indulgentiarum concessiones pro omnibus fidelibus, obligatione tenentur, sub poena nullitatis gra-

tiae obtentae, authentica exemplaria earumdem concessionum ad Sacram Paenitentiarium deferendi.

17. Indulgentia, alicui festo adnexa, translata intelligitur in eum diem quo huiusmodi festum vel eiusdem externa sollemnitas legitime transfertur.

18. Ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur, haec fieri potest a meridie diei praecedentis usque ad medium noctem quae statutum diem claudit.

19. Christifidelis qui *pietatis obiecto* (crucifixo vel cruce, corona, scapulari, numismate), a quovis sacerdote rite benedicto, pia utitur mente, consequitur indulgentiam partiale.

Si autem *pietatis obiectum* a Summo Pontifice aut a quolibet Episcopo fuerit benedictum, christifidelis, eodem obiecto pia utens mente, assequi potest etiam indulgentiam plenariam die festo sanctorum Apostolorum Petri et Paoli, addita tamen, quilibet legitima formula, fidei professione.

20. § 1. Indulgentiae adnexae visitationi ecclesiae non cessant, si ecclesia funditus evertatur rursusque intra quinquaginta annos aedificetur in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo.

§ 2. Indulgentia adnexa usui *pietatis obiecti* tunc tantum cessat, cum idem obiectum prorsus desinat esse vel vendatur.

21. Pia Mater Ecclesia, de fidelibus defunctis quam maxime sollicita, quilibet privilegio hac de re abrogato, iisdem defunctis amplissime suffragari constituit quovis Missae sacrificio.

22. § 1. Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias, debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum, subditus concedentis.

§ 2. Ut vero subiectum capax eas revera lucretur, habere debet intentionem saltem generalem eas acquirendi et opera iniuncta implere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem.

23. Nisi aliud ex concessionis tenore appareat, indulgentias ab Episcopo concessas lucrari possunt tum subditi extra territorium, tum peregrini, vagi, omnesque exempti in territorio degentes.

24. § 1. Indulgentia plenaria semel tantum in die acquiri potest.

§ 2. Christifidelis tamen consequi poterit indulgentiam plenariam in *articulo mortis*, etiamsi eodem die indulgentiam plenariam iam acquisiverit.

§ 3. Partialis vero indulgentia pluries in die acquiri potest, nisi aliud expresse notetur.

25. Opus praescriptum ad acquirendam indulgentia plenariam ecclesiae vel oratorio adjunctam est eiusdem pia visitatio, in qua recitantur oratio Dominica et fidei symbolum (*Pater* et *Credo*).

26. Ad indulgentiam plenariam assequendam requiruntur exsecutio operis indulgentia ditati et impletio trium condicionum, quae sunt: sacramentalis confessio, communio eucharistica et oratio ad mentem Summi Pontificis. Requiritur insuper ut excludatur omnis affectus erga quodcumque peccatum etiam veniale.

Si plena huiusmodi dispositio desit vel predictae condiciones, salvis praescriptis n. 34 et n. 35 pro «impeditis», non impleantur, indulgentia erit tantum partialis.

27. Tres condiciones perfici possunt pluribus diebus ante vel post praescripti operis exsecutionem; convenit tamen ut communio et oratio ad mentem Summi Pontificis peragantur ipso die quo instituitur opus.

28. Unica sacramentali confessione plures indulgentiae plenariae acquiri possunt; unica vero communione eucharistica et unica oratione ad mentem Summi Pontificis una tantum indulgentia plenaria acquiritur.

29. Condicio precandi ad mentem Summi Pontificis plane impletur, si recitantur ad Eiusdem mentem semel *Pater* et *Ave*; data tamen facultate singulis fidelibus quamlibet aliam orationem recitandi iuxta uniuscuiusque pietatem et devotionem.

30. Normae de indulgentiis plenariis editae, praesertim ea quae in n. 24, § 1 recensetur, applicantur etiam indulgentiis plenariis, quae «toties quoties» usque adhuc appellari consueverunt.

31. Opere, cui praestando aliquis lege aut pracepto obligatur, nequit indulgentia lucriferi, nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur; qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem paenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et paenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari.

32. Indulgentia alicui orationi adnexa acquiri potest quocumque idiomate oratio recitetur, dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione vel Sacrae Paenitentiariae vel unius ex Ordinariis vel Hierarchis locorum ubi vulgaris est lingua in quam versa est oratio.

33. Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis cum socio recitare, aut mente eam prosequi, dum ab alio recitatur.

34. Confessarii commutare possunt sive opus praescriptum sive condiciones pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant.

35. Ordinarii vel Hierarchae locorum possunt insuper concedere fidelibus, in quos ad normam iuris exercent auctoritatem, si in locis versentur ubi nullo modo vel saltem admodum difficile ad confessionem vel communionem accedere possint, ut ipsi queant indulgentiam plenariam consequi absque actuali confessione et communione, dummodo sint corde contriti et ad praedicta sacramenta, cum primum poterunt, accedere propontant.

36. Muti lucrari possunt indulgentias adnexas publicis precibus, si una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios sensus ad Deum attollant; et si agatur de privatis orationibus, satis est ut eas mente recolant signis patefaciant vel tantummodo oculis percurrant.

Rev.mus Secretarius ad. legit normam 1 et declarat quod textus non est assumendus in Codicem, quia est definitio quae non requiritur in Codicem.

Rev.mus quintus Consultor e contra aestimat definitionem indulgentiarum in normis propositam in Codicem iuris canonici inseri posse sed quoad ipsam definitionem uti invenitur in normis, declarat difficultatem haberi ex eo, quod differentia inter culpam et poenam non iam est eadem quae in antiqua praxi poenitentiali, ubi agebatur de poenis ab ipsa ecclesia inflictis. Praeterea ipse declarat quod difficultas provenit ex analogo sensu verbi « remissio »; poenae enim temporales, quae hac in terra tamquam sequelae ipsorum peccatorum tolerandae sunt, non in eodem sensu « remittuntur » ac poenae a iudice inflictae, sed propter interventionem ecclesiae homini tribuitur adiutorium divinum ad tolerandas « poenas temporales ».

Notat Rev.mus Secretarius ad. quod vox « temporalis » in Codice habet sensum contrarium verbo « spiritualis ».

Declarat Rev.mus Secretarius ad. quod formula « remissio poenae temporalis debitae pro peccatis » sumpta est a Const. Ap. *Indulgentiarum doctrina* (1 ianuarii 1967) *AAS* 59 (1967) n. 8.

Consentit Rev.mus quintus Consultor ut definitio indulgentiarum in Codice ponatur, tamen aestimat hanc definitionem interpretandam esse a theologis et secundum mentem Constitutionis Apostolicae.

Rev.mus septimus Consultor censet indulgentiam esse remissionem coram Deo poenae temporalis pro peccatis in futuro saeculo luendae.

Respondet Rev.mus quartus Consultor quod indulgentia est remissio poenae, sive in hoc mundo luendae sive etiam in futuro saeculo.

Rev.mus quintus Consultor ad probandum quod a Rev.mo quarto Consultore affirmatur legit Constitutionem Apostolicam n. 2, ubi dicitur:

« Quemadmodum divina revelatione docemur, poenae peccata consequuntur a divina sanctitate et iustitia inflictae, sive in hoc mundo luendae sive in futuro saeculo luendae ».

dae, doloribus, miseriis et aerumnis huius vitae et praesertim morte, sive etiam per ignem et tormenta vel poenas catharterias in futuro saeculo».

Etiam Rev.mus primus Consultor consentit cum Rev.mo quarto Consultore et legit n. 8 Constitutionis Apostolicae ubi affirmatur quod: «Finis quem ecclesiastica auctoritas sibi proponit in elargiendis indulgentiis, in hoc est positus ut non solum adiuvet christifideles ad poenas debitas luendas, sed etiam eosdem impellat ad pietatis, poenitentiae et caritatis opera peragenda, ea praesertim quae fidei incremento et bono communi conducunt».

Ipse Rev.mus primus Consultor declarat quod verba in normis de indulgentiis adhibita applicari possunt sive pro vita praesenti sive pro futura.

Concordant omnes ut definitio de indulgentia detur in Codicem.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut inseratur in Codicem textus uti est in Constitutione Apostolica.

Concordant omnes Consultores de propositione Rev.mi septimi Consultoris.

Rev.mus octavus Consultor in n. 1 praefert verbum «temporaneae» loco «temporalis». Non placet Consultoribus emendatio Rev.mi octavi Consultoris.

#### *Norma 1*

Placet omnibus uti est in «Enchiridion».

#### *Norma 2*

Textus placet omnibus uti est, sed dicatur «aut plenaria»

#### *Norma 3*

Rev.mus quintus Consultor proponit ut dicatur «in hac vita» loco «in vita» degentibus ad vitandam confusionem.

Exc.mus secundus Consultor proponit verba «vitam praesentem degentibus». Haec emendatio placet omnibus Consultoribus.

#### *Norma 4*

Rev.mus octavus Consultor proponit ut n. 4 fiat § 2, n. 2. Placet omnibus haec emendatio itaque n. 4 erit § 2, n. 2, sed in singulari numero textus est ponendus.

#### *Norma 5*

Concordant omnes ut omittatur.

*Norma 6*

Rev.mi primus et quintus Consultores proponunt ut omittatur in Codice, quia non est necessarium ut in Codice habeatur conceptus theologicus indulgentiae partialis.

E contra Rev.mus octavus Consultor declarat quod norma manere debet in Codice qui determinare debet id quod Ecclesia dat.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod iam habetur in normis precedentibus distinctio inter indulgentiam partiale et totalem, propterea non videtur necessarium ut adiungatur etiam distinctio theologica.

Petitur suffragatio: Omnes, exceptis Rev.mis octavo et quarto Consultoribus, concordant ne norma in Codicem inseratur.

*Norma 7*

Concordant omnes ut omittatur.

*Norma 8*

Rev.mus quintus Consultor proponit ut loco «Praeter Romanum Pontificem» dicatur «Praeter supremam Ecclesiae auctoritatem».

Rev.mus tertius Consultor praefert ut maneant in Codice verba «Praeter Romanum Pontificem».

Concordant omnes de emendatione a Rev.mo quinto Consultore proposita.

Rev.mus tertius Consultor non amat formulam «quibus id expresse a iure concessum est», quia censet Episcopum concessionem non habere a iure sed ex ipso ministerio pastorali.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «agnoscitur» loco «concessum est».

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur «quibus haec potestas in iure agnoscitur». Haec emendatio placet omnibus.

*Norma 9*

Concordant omnes ut textus n. 9 primae partis remittatur ad alium locum, ubi de competentia S. Congregationum agitur; utque secunda pars omittatur.

*Norma 10*

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut loco «inferiores Romano Pontifice nequeunt» dicatur «Auctoritas quaelibet infra Romanum Pontificem nequit». Placet omnibus.

*Norma 11*

Concordant omnes Consultores ut norma dicatur in numero singulari, sequenti modo: «Episcopus dioecesanus aliquie in iure ipsi aequiparati...». Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «a capta officii possessione» loco «ab initio pastorali munere». Placet omnibus.

*Ad § 1:* Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «suae ditionis» loco «suae iurisdictionis».

Rev.mus quintus Consultor aestimat in textu melius explicandum esse quaenam sint personae de quibus agitur.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut textus sequenti modo emendetur:

«Concedendi indulgentiam partialem personis in quas potestatem gratiosam exercere potest ad normam...». Haec emendatio placet omnibus.

*Ad § 2:* Textus placet omnibus uti est.

*Norma 12*

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut textus dicatur in numero singulari. Placet omnibus, itaque textus erit: «Metropolita potest».

*Norma 13*

Concordant omnes ut supprimatur haec norma.

*Norma 14*

Rev.mus septimus Consultor pro Patribus Cardinalibus proponit ut servetur tantum ultima parte huius numeri hoc vel simili modo:

«Cardinales gaudent facultate concedendi indulgentiam partialem ubique terrarum occasione sollemnitatum quibus ipsi intersint, sed singulis vicibus et a praesentibus tantummodo acquirendam». Ratio huius propositionis est quia hodie non iam sunt «protectoriae» nec Patres Cardinales aliam habent iurisdictionem ac illam quae eis quatenus Episcopi dioecesani competit.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «suae ditionis» loco «suae iurisdictionis». Respondet Rev.mus octavus Consultor quod hoc dici non potest de Cardinalibus qui sunt in Curia Romana.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur «ubique» loco «in locis...». Placet omnibus.

Concordant omnes ut textus ponatur in numero singulari: itaque textus erit: «Cardinalis facultate gaudet concedendi indulgentiam partialem ubique, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, acquirendam».

*Norma 15*

Concordant omnes ut supprimatur.

*Norma 16*

Placet uti est.

*Norma 17*

Placet uti est.

*Norma 18*

Placet uti est.

*Norma 19*

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut fiant duae paragraphi sequenti modo:

§ 1. Christifidelis qui pietatis obiecto (crucifixo vel cruce, corona, scapulari, numismate), a quovis sacerdote rite benedicto, pia uitur mente, consequitur indulgentiam partialem.

§ 2. Christifidelis pia utens mente iisdem pietatis obiectis a Summo Pontifice aut a quolibet Episcopo benedictis, assequi potest etiam indulgentiam plenariam die festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, addita tamen, qualibet legitima formula, fidei professione.

*Norma 20*

*Ad § 1:* Omnes proponunt ut dicatur «indulgentia adnexa» loco «indulgentiae adnexae».

*Ad § 2:* Rev.mus quintus Consultor notat quod si manet benedictio in obiectis, manet etiam indulgentia.

Respondet Rev.mus primus Consultor quod norma statuta est ad vietandum periculum commercii.

Textus placet uti est cum sola emendatione ab omnibus proposita de numero singulari subiecti § 1.

*Norma 21*

Placet omnibus ut norma supprimatur.

*Norma 22*

Placet omnibus uti est.

*Norma 23*

Concordant ut supprimatur quia norma iam posita est in Codice.

*Norma 24*

Placet textus uti est cum sequenti emendatione ab omnibus probata in § 3, scilicet: « statuatur » loco « notetur ».

*Norma 25*

Rev.mus octavus Consultor proponit ut omittantur verba « Pater et Credo ». Placet omnibus. De cetero textus placet omnibus uti est.

*Norma 26*

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut sequenti modo emendetur:

§ 1. Ad indulgentiam plenariam assequendam requiritur ut perficiatur opus indulgentia ditatum utque adimpleantur condiciones, quae sunt: sacramentalis confessio, communio eucharistica et oratio ad mentem Summi Pontificis.

§ alia, quae fit tertia (quia § 2 erit, ut videbimus, norma 27): Salvis praescriptis canonum... si condiciones de quibus in § 1 non adimpleantur indulgentiam erit partialis tantum.

Textus hoc modo emendatus placet omnibus.

*Norma 27*

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut textus maneat uti est, sed fiat § 2 normae 26. Placet omnibus suggestio Rev.mi Secretarii ad.

*Norma 28*

Placet omnibus uti est.

*Norma 29*

Rev.mus octavus Consultor proponit ut omittatur verbum « iuxta... ». Placet omnibus.

*Norma 30*

Concordant omnes ut omittatur.

*Norma 31*

Placet omnibus uti est.

*Norma 32*

Rev.mus quartus Consultor proponit ut omittatur verbum « Hierarchis ». Placet omnibus.

Concordant omnes ut textus maneat uti est cum suggestione Rev.mi quarti Consultoris.

*Norma 33*

Concordant omnes ut supprimatur.

*Norma 34*

Concordant omnes ut maneat textus sed verbum et subiectum in singulari numero dicantur.

*Norma 35*

Placet uti est cum subiecto et verbo in numero singulari.

*Norma 36*

Placet omnibus ut maneat uti est.

Ita explicit materia in hac sessione tractanda. Determinatur materia in proxima sessione huius Coetus tractanda scilicet: recognitio canonum de sacramentalibus (cann. 1144-1153) et deinde revisio omnium canonum de sacramentis.

APPENDIX I

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT  
«DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA ASSERVANDA  
VEL VENERANDA»

(de quo in CIC cann. 1265-1275)

*Can. 1* (CIC 1265)

§ 1. Sanctissima Eucharistia, dummodo adsit qui eius curam habeat et pro posse sacerdos saltem bis in mense Missam in sacro loco celebret:

1° asservari debet in ecclesia cathedrali aut eidem aequiparata, in qualibet ecclesia paroeciali necnon in ecclesia domui Instituti perfectionis sive virorum sive mulierum adnexa;

2° asservari potest, de licentia Ordinarii loci, in aliis ecclesiis et in oratoriis (publicis et semipublicis);

3° asservari potest in oratorio domestico Episcopi, etiam titularis tantum; non autem habitualiter in oratoriis privatis, nisi ex indulto apostolico.

§ 2. Nemini licet sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre.

*Can. 2* (CIC 1266)

Omnes ecclesiae et oratoria publica in quibus sanctissima Eucharistia asservatur, per aliquot saltem horas cotidie fidelibus pateant, ut coram sanctissimo Sacramento orationi vacare valeant.

*Can. 3* (CIC 1267)

In domo Instituti perfectionis aliave pia domo, sanctissima Eucharistia asservetur tantummodo in ecclesia aut in oratorio publico vel semi-publico principali domui adnexo; potest tamen iusta de causa Ordinarius permettere ut alio etiam in oratorio eiusdem domus asservetur.

*Can. 4* (CIC 1268)

§ 1. Sanctissima Eucharistia continuo seu habitualiter in uno tantum ecclesiae vel oratorii tabernaculo asservetur.

§ 2. Locus ecclesiae vel oratorii in quo sanctissima Eucharistia asservetur, sit vere praecellens, decore ornatus atque ad orationem aptus.

§ 3. Tabernaculum in quo sanctissima Eucharistia asservatur situm sit aut in aliquo altari aut extra altare in aliqua ecclesiae vel oratorii parte nobili et conspicua.

§ 4. Tabernaculum in quo sanctissima Eucharistia asservatur sit inamovibile et solide clausum, ita ut quam maxime periculum profanationis vitetur.

§ 5. Qui ecclesiae vel oratorii curam habet, prospiciat ut clavis tabernaculi, in quo sanctissima Eucharistia asservatur, diligentissime custodiatur.

*Can. 5* (CIC 1269 §§ 3 et 4)

Gravi aliqua de causa, licet sanctissimam Eucharistiam, nocturno praesertim tempore, alio in loco tuiore et decoro asservare.

*Can. 6* (CIC 1270)

Habeantur semper in tabernaculo, et quidem in apte clausa pyxide ex solida decoraque materia, hostiae consecratae numero christifidelium necessitatibus congruo.

*Can. 7* (CIC 1271)

Coram tabernaculo in quo sanctissima Eucharistia asservatur, peculiaris perenniter ardeat lampas, qua indicetur Christi praesentiae.

*Can. 8* (CIC 1272 )

Hostiae consecratae recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis.

*Can. 9* (CIC 1274)

§ 1. In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam, fieri possunt breves expositiones sive cum pyxide sive cum ostensorio, servatis quidem legum liturgicarum praescriptis; curet loci Ordinarius ut huiusmodi expositiones sanctissimi Sacramenti debita cum reverentia fiant.

§ 2. In iisdem ecclesiis et oratoriis quotannis fieri potest sollemnitas sanctissimi Sacramenti expositio per congruum tempus, etsi non conti-

num, protracta, ut communitas localis eucharisticum mysterium impensis meditetur et adoret; huiusmodi tamen expositio fiat tantum si congruus praevideatur fidelium concursus, de consensu Ordinarii loci et servatis normis statutis.

§ 3. Minister expositionis sanctissimi Sacramenti et benedictionis eucharisticae est sacerdos vel diaconus.

§ 4. Celebration Missae durante, ne habeatur in eadem ecclesiae vel oratorii aula sanctissimi Sacramenti expositio.

*Can. 10 (CIC 1290-1295)*

§ 1. Ubi, de iudicio loci Ordinarii, fieri potest, convenit ut, in publicum erga sanctissimam Eucharistiam venerationis testimonium, sollemnis habeatur, praesertim in festo Corporis Christi, processio, etiam per vias publicas procedens.

§ 2. In festo Corporis Christi, processio habeatur unica in civitatibus, variis earundem paroecis communis, eaque procedens ab ecclesia digniore, nisi aliter ferat immemorabilis consuetudo aut aliud suadeant locorum adiuncta.

§ 3. Loci Ordinarii est non tantum de processionum opportunitate iudicare, sed etiam de iisdem statuere ordinationes, quibus earum dignitati prospiciatur.

APPENDIX II

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT  
«DE OBLATA AD MISSAE CELEBRATIONEM STIPE»

(de quo in CIC cann. 824-844)

*Can. 1 (CIC 824 § 1)*

§ 1. Secundum probatum Ecclesiae morem, sacerdoti cuilibet Missam celebranti et applicant necnon concelebranti et applicant licet stipem a fidelibus oblatam recipere.

§ 2. Enixe commendatur sacerdotibus ut etiam nulla recepta stipe, Missam celebrent ad intentionem christidelium praecipue egentium, ubi id suadeat christiana caritas.

*Can. 2 (novus)*

§ 1. Christifideles stipem ad Missae celebrationem offerentes, etiam cum rogent ut ad suam intentionem Missa applicetur, ad bonum conferunt Ecclesiae, cuius quidem curam in cultu ordinando, in officiis adimplendis operibusque sustentandis, ita etiam participant.

§ 2. Auctoritati ecclesiasticae, praesertim Episcopo dioecesano, cuius est curare ut necessitatibus Ecclesiae sustentationique clericorum suae dioecesis provideatur, competit ordinationibus suis definire rationes, offendentium quidem voluntati congruas, quibus oblatae stipes in bonum Ecclesiae adhibendae sint, determinando fines ad quos cedi debent, statuendo ut sacerdos, cui stips offertur, ex integro aut ex parte eandem retineat, salvis praescriptis can. 3.

*Can. 3 (CIC 824 § 2)*

§ 1. Sacerdos plures in die celebrans, pro una tantum Missa stipem recipere eamque suam facere potest, excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco.

§ 2. Sacerdos plures in die legitime celebrans earum singulas applicare potest ad intentionem pro qua stips oblata est, ea tamen lege ut stipem pro altera et tertia Missa oblatam non retineat, sed eandem concredat in bonum Ecclesiae, iuxta Ordinarii loci praescripta.

*Can. 4 (CIC 827)*

A stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturaे omnino arceatur.

*Can. 5 (CIC 825)*

Numquam sacerdoti licet:

1° Missam celebrare et applicare ad intentionem illius qui, stipe oblata, eam petiturus est, sed nondum petiit, et stipem postea oblatam pro Missa ita iam applicata retinere;

2° stipem recipere pro applicatione Missae quae alio titulo canonico debetur et applicatur;

3° duplēm stipem pro eiusdem Missae applicatione recipere.

*Can. 6 (CIC 828)*

§ 1. Distinctae applicandae sunt Missae ad intentiones pro quibus singulis stips, licet exigua, oblata et acceptata est.

§ 2. Licet autem unam eandemque celebrare et applicare Missam ad intentionem plurium, qui ad communem pro eiusdem Missae celebratione et applicatione stipem oblatam ad libitum contulerint.

*Can. 7 (CIC 829)*

Qui onere gravatur Missam celebrandi et applicandi ad intentionem eorum qui stipem obtulerint, eadem obligatione tenetur, etiamsi sine eius culpa stipes perceptae perierint.

*Can. 8 (CIC 830)*

Si quis pecuniae summam obtulerit pro Missarum applicatione, non indicans Missarum celebrandarum numerum, hic supputetur attenta stipe statuta in loco in quo oblator morabatur, nisi aliam fuisse eiusdem intentionem legitime praesumi debeat.

*Can. 9 (CIC 831)*

§ 1. Episcopi dioecesani est pro sua dioecesi per decretum definire quaenam pro celebratione et applicatione Missae sit offerenda stips, itemque quid ratione tituli extrinseci sit debitum, nec licet sacerdoti summam maiorem expetere; curet autem idem Episcopus ut quantum fieri possit eadem definiantur secundum rationem ab Episcoporum conferentia compositam.

§ 2. Ubi desit Episcopi dioecesani decretum, servetur consuetudo in dioecesi vigens.

§ 3. Sodales Institutorum perfectionis, licet exempti, stare debent decreto Episcopi dioecesani aut consuetudini loci, de quibus in §§ 1 et 2.

*Can. 10 (CIC 832)*

Sacerdoti fas est sponte oblatam stipem definita maiorem pro Missae applicatione accipere, et etiam minorem.

*Can. 11 (CIC 834)*

§ 1. Missae pro quibus celebrandis tempus ab oblatore expresse praestitutum est, eo omnino tempore celebranda sunt.

§ 2. Missae pro quibus celebrandis nullum determinatum tempus ab oblatore praestitutum est: si pro causa urgenti petuntur, quamprimum tempore utili celebranda sunt; secus intra congruum tempus.

*Can. 12 (CIC 835)*

Nemini licet tot Missarum onera per se celebrandarum accipere, quibus intra annum satisfacere non potest.

*Can. 13 (CIC 836)*

Si certis in ecclesiis aut oratoriis, peculiari christifidelium devotione ornatis, Missae petuntur celebrandae numero plures quam ut ibidem celebrari valeant, eadem alibi celebrari possunt, nisi contrariam voluntatem oblatores expresse manifestaverint.

*Can. 14 (CIC 838)*

Qui curare debet ut Missae celebrentur quarum celebrationem aliis concredere potest, eas celebrandas committere potest sacerdotibus sibi acceptis, dummodo constet eos esse omni exceptione maiores aut testimonio proprii Ordinarii commendatos.

*Can. 15 (CIC 837)*

Qui Missas celebrandas aliis committere intendat eas quamprimum aliis transmittat, firmo praescripto can. 18 (841); tempus autem intra quod, ad normam can. 11 (834) celebranda sunt initium habet a die quo sacerdos easdem celebraturus recepit, nisi aliud constet.

*Can. 16 (CIC 839)*

Qui Missas, quas celebrandas accepit aut quarum celebratio quoquo modo suae fidei commissa est, aliis celebrandas commiserit, obligatione tenetur earum celebrationem curandi usque dum acceptae ab eis obligationis et receptae stipis testimonium receperit.

*Can. 17 (CIC 840)*

Qui Missas quas celebrandas, oblata stipe, accepit, aliis commiserit, integre eisdem stipem pro earum celebratione receptam transmittere debet, nisi certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum esse intuitu personae.

*Can. 18 (CIC 841)*

Omnes et singuli administratores causarum piarum aut quoquo modo obligati ad Missarum celebrationem curandam, sive clerici sive laici, onera

Missarum quibus intra annum non fuerit satisfactum suis Ordinariis trahant, secundum modum ab his definiendum.

*Can. 19 (CIC 842)*

Officium et ius advigilandi ut Missarum onera adimpleantur, in ecclesiis saecularium pertinet ad loci Ordinarium, in ecclesiis Institutorum perfectionis ad eorum Superiores.

*Can. 20 (CIC 843)*

§ 1. Rector ecclesiae aliусve pii loci sive saecularis sive Instituti perfectionis, in quibus stipes Missarum recipi solent, peculiarem habeat librum in quo accurate adnotet Missarum celebrationem numerum, intentionem, stipem oblatam, necnon celebrationem peractam.

§ 2. Ordinarius obligatione tenetur singulis annis huiusmodi libros per se aut per alios recognoscendi.

*Can. 21 (CIC 844)*

Loci Ordinarius et Instituti perfectionis Superior qui propriis subditis aliisve Missas celebrandas committant, quas celebrandas acceperunt Missas, notatis etiam stipibus receptis, sine mora in librum per ordinem referant currentque pro viribus ut quamprimum celebrentur.

§ 2. Quilibet sacerdos, sive saecularis sive Instituti perfectionis sodalis, accurate notare debet quas celebrandas acceperit Missas, quibusque satisficerit.

### APPENDIX III

#### SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT

#### «DE SACRAMENTO POENITENTIAE»

(de quo in CIC cann. 870-910)

*Can. 1 (CIC 870: si servandus est)*

In Sacramento poenitentiae per absolutionem a legitimo ministro impertitam, fideles, peccata confitentes et rite dispositi, veniam peccatorum quae post baptismum commiserint pacemque cum Ecclesia obtinent.

**Caput I****DE SACRAMENTI POENITENTIAE MINISTRO**

*Can. 2* (CIC 871)

Minister sacramenti poenitentiae est solus sacerdos.

*Can. 3* (CIC 872)

§ 1. Ad validam peccatorum absolutionem requiritur ut minister, praeterquam potestate per ordinationem sacram collata, facultate gaudeat eandem in determinatos fideles exercendi.

§ 2. Hac facultate donari potest sacerdos sive ipso iure sive speciali commissione ab auctoritate competenti facta ad normam can. 6.

*Can. 4* (CIC 873 et novus)

§ 1. Facultate de qua in can. 3 § 1, ad potestatem absolvendi, praeter Romanum Pontificem, ipso iure ubique in omnes fideles exercendam gaudent Cardinales; itemque Episcopi omnes, sive dioecesani sive non, qui quidem eadem et licite ubique utuntur, nisi loci Ordinarius in casu particulari renuerit.

§ 2. Ipso iure eadem facultate ubique in omnes fideles potiuntur quoque presbyteri qui sive vi officii sibi collati facultate gaudent ad confessiones excipiendas in suo territorio, sive facultate ad confessiones excipiendas donati sunt commissione speciali Ordinarii loci in quo domicilium, eoque deficiente quasi-domicilium, habent, firmo praescripto can....; eadem vero facultate lice te utuntur tantum servatis, ubi statuantur, praescriptis a loci Ordinario editis.

§ 3. Ipso iure eadem facultate ubique potiuntur erga sodales sui Instituti, aliosque de quibus in can. 514 § 1, tum Moderatores clericalis Instituti perfectionis vi officii facultate gaudentes confessiones excipiendi suorum subditorum, tum presbyteri quilibet ab aliquo eiusdem Instituti Moderator ad normam Constitutionum competenti facultate pro eius subditis donati; qui quidem eadem et licite utuntur, nisi aliquis Moderator quoad proprios subdito in casu particulari renuerit.

*Can. 5* (CIC 873 §§ 1 et 2)

§ 1. Vi officii pro sua quisque ditione facultate ad confessiones excipiendas gaudent loci Ordinarius, Canonicus poenitentiarius, itemque parochus aliquis qui loro parochi sunt.

§ 2. Vi officii facultate gaudent confessiones excipiendi suorum subditorum aliorumque de quibus in can. 514 § 1 Moderatores Instituti clericalis perfectionis ad normam constitutionum potestate regiminis exexecutiva fruentes.

*Can. 6 (CIC 874 et 875)*

§ 1. Solus loci Ordinarius competens est qui facultatem ad confessiones quorumlibet fidelium excipiendas commissione speciali conferat presbyteris quibuscumque; presbyteri autem sodales Institutorum perfectionis eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Moderatoris.

§ 2. Revocata facultate ad confessiones excipiendas a loci Ordinario de qua in can. 4 § 2, presbyter eandem facultatem ubique amittit: revocata eadem facultate ab alio loci Ordinario, eandem amittit in territorio revocantis tantum.

§ 3. Quilibet loci Ordinarius qui alicui presbytero revocaverit facultatem ad confessiones excipiendas, certiore reddit Ordinariu ratione incardinationis presbyteri proprium aut, si agatur de sodali Instituti perfectionis, eiusdem competentem Moderatorum.

§ 4. Ipso iure facultatem ad excipiendas confessiones amittit presbyter sodalis Instituti perfectionis, cui licentia ad confessiones excipiendas revocatur a Superiore ad normam constitutionum competenti.

§ 5. Ipso iure facultate ad confessiones excipiendas privatur sacerdos, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto.

*Can. 7\* (CIC 877)*

Loci Ordinarius, itemque Moderator Instituti clericalis vitae consecratae competens, facultatem ad confessiones habitualiter excipiendas ne concedant nisi presbyteris qui idonei per examen reperti fuerint aut de quorum idoneitate aliunde constet.

*Can. 8\* (CIC 874 § 1)*

§ 1. Facultatem ad excipiendas habitualiter confessiones loci Ordinarius presbytero saeculari, etsi domicilium vel quasi-domicilium in sua di-

\* Canones 7-11, qui hic publici iuris fiunt, non inveniuntur, oblivionis causa, in Appendix III asservata in Archivo Commissionis, etsi approbati sunt (cf. pp. 306-307).

tione habenti, ne concedat, nisi prius, quantum fieri possit, auditio proprio eiusdem presbyteri Ordinario.

§ 2. Facultatem ad excipiendas habitualiter confessiones loci Ordinarius ne concedat sodali Instituti vitae consecratae qui a proprio Moderatore non praesentatur; ei vero qui a proprio Moderatore praesentatur sine gravi causa eam ne deneget, firmo tamen praescripto can. 140.

*Can. 9\**(CIC 878)

Facultas ad confessiones excipiendas a competenti auctoritate de qua in can. 139, concedi potest ad tempus sive indeterminatum sive determinatum.

*Can. 10\**(CIC 879)

Facultas ad confessiones excipiendas, quantum fieri possit, scripto concedatur.

*Can. 11\**(CIC 880)

§ 1. Loci Ordinarius, itemque Moderator Instituti clericalis vitae consecratae competens, facultatem ad confessiones excipiendas habitualiter concessam ne revocent nisi gravem ob causam.

§ 2. Revocata facultate ad confessiones excipiendas a loci Ordinario de quo in can. 137, § 2, presbyter eandem facultatem ubique admittit; revocata eadem facultate ab alio loci Ordinario, eandem amittit in territorio revocantis tantum.

§ 3. Quilibet loci Ordinarius qui alicui presbytero revocaverit facultatem ad confessiones excipiendas, certiorem reddat Ordinarium ratione incardinationis presbyteri proprium aut, si agatur de sodali Instituti perfectionis, eiusdem competentem Moderatorem.

§ 4. Revocata facultate ad confessiones excipiendas a Moderatore generali Instituti vitae consecratae aut a proprio suo moderatore competenti, facultatem ad excipiendas confessiones ubique amittit presbyter sodalis Instituti vitae consecratae; revocata autem eadem facultate ab alio Moderatore competenti, eandem amittit erga solos eiusdem subditos.

§ 5. Ipso iure facultate ad confessiones excipiendas privatur sacerdos, sententia aut decreto irrogante vel declarante excommunicatus, suspensus ab officio aut interdictus.

*Can. 12 (CIC 882)*

Quilibet sacerdos, licet ad confessiones excipiendas facultate careat, quoslibet poenitentes in periculo mortis versantes valide et licite absolvit a quibusvis peccatis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus.

*Can. 13 (CIC 884)*

Absolutio complicis in peccato contra sextum Decalogi praeceptum invalida est, praeterquam in periculo mortis.

*Can. 14 (CIC 886)*

Si confessarius non dubitet de poenitentis dispositione et hic absolutio nem petat, absolutio ne denegetur nec differatur.

*Can. 15 (CIC 895)*

Qui confitetur se falso confessarium innocentem apud auctoritatem ecclasiasticam denuntiasse de crimine sollicitationis ad peccatum contra sextum Decalogi praeceptum, ne absolvatur nisi prius falsam denuntiationem formaliter retractaverit.

*Can. 16 (CIC 888 § 1)*

Sacerdos, utpote misericordiae simul ac iustitiae divinae minister a Deo constitutus, animo pastorali semper confessiones excipiat, ut quam maxime honori divino animarumque saluti consulat.

*Can. 17 (CIC 888 § 2)*

Sacerdos in quaestionibus ponendis maxima cum prudentia et discreione procedat, attenta quidem condicione et aetate poenitentis, abstineatque a quaestionibus quae ad aliarum personarum peccata attinent.

*Can. 18 (CIC 887)*

Pro qualitate et numero peccatorum, habita tamen ratione poenitentis condicione, salutares et convenientes satisfactiones confessarius iniungat; quas poenitens per se ipse implendi obligatione tenetur.

*Can. 19 (CIC 889)*

§ 1. Sacramentale sigillum inviolabile est; quare gravi obligatione tenentur confessarius itemque, si detur, interpres, ne verbo aliove quovis modo et quavis de causa prodant aliquatenus poenitentem.

§ 2. Gravi obligatione secretum servandi tenentur quoque omnes alii ad quos ex confessione notitia peccatorum quoquo modo pervenerit.

*Can. 20 (CIC 890)*

§ 1. Omnino prohibetur confessario usus scientiae ex confessione acquisitae, cum poenitentis gravamine, tiam quovis revelationis periculo excluso.

§ 2. Auctoritas quaelibet notitia quam de peccatis in confessione quovis tempore excepta habuerit, ad exteriorem gubernationem uti non potest.

*Can. 21 (CIC 891)*

Magister novitiorum eiusque socius, Superior Seminarii aliasve Instituti educationis sacramentales confessiones suorum alumnorum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni in casibus particularibus sponte et libere id petant.

*Can. 22 (CIC 892)*

§ 1. Parochus aliquie quibus cura animarum vi muneric est demandata, gravi tenentur obligatione ut a se vel ab alio excipientur confessiones fidelium sibi commissorum, qui rationabiliter confiteri petant.

§ 2. Urgente necessitate, quilibet confessarius obligatione tenetur confessiones christifidelium excipiendi, et in periculo mortis quilibet sacerdos.

*Can. 23 (CIC 908)*

§ 1. Ad sacramentales confessiones excipiendo locus proprius est ecclesia aut oratorium.

§ 2. Quae ultra de sedis confessionalis loco eiusque structura praescribenda sint, ab Episcoporum conferentia regionis statuantur.

Caput III  
DE SACRAMENTI POENITENTIAE SUBIECTO

*Can. 24* (CIC 901-902)

§ 1. Christifidelis gravi tenetur obligatione confitendi omnia peccata gravia post baptismum perpetrata et nondum per claves Ecclesiae directe remissa, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat.

§ 2. Commendatur christifidelibus ut etiam peccata venialia confitentur, quae quidem materia sufficiens sunt sacramenti poenitentiae.

*Can. 25* (CIC 906)

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, obligatione tenetur peccata sua gravia saltem semel in anno fideliter confiteri.

*Can. 26* (CIC 903)

Qui aliter confiteri non valet, non prohibetur, si velit, quominus per interpres tem confiteatur, vitatis quidem abusibus et scandalis, firme praescripto can. 19 § 1.

*Can. 27* (CIC 905)

Cuivis christifidi integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus cui maluerit peccata confiteri, firme praescripto can. (can. gen. de confessione permissa ministris non-catholicis).

APPENDIX IV

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT  
«DE SACRAMENTIS IN COMMUNI»

*Can. 1* (CIC 731 § 1)

Sacmenta Novae Legis, a Christo Domino instituta et Ecclesiae concredata, praecipua sunt sanctificationis et salutis media, magnopere conferunt ad communionem ecclesiasticam inducendam aut firmandam atque

regale Populi Dei sacerdotium manifestant. Quapropter in iis opportune riteque celebrandis summa veneratione debitaque diligentia uti debent tum sacri ministri tum ipsi fideles (cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, 7, 14, 26, 27, 28 et 59).

*Can. 2 (CIC 731 § 2)*

§ 1. Salvis huius canonis §§ 2, 3 et 4, ministri catholici sacramenta licite administrant solis christifidelibus catholicis, atque iidem christifideles eadem a solis ministris cattolicis licite recipiunt.

§ 2. Quoties necessitas id postulet aut vera spiritualis utilitas id suadeat, licet christifidelibus catholicis quibus physice aut moraliter impossibile est accedere ad ministrum catholicum, sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum recipere a ministris non catholicis, in quorum Ecclesia valida habentur praedicta sacramenta.

§ 3. Ministri catholici licite sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum administrant christifidelibus orientalibus plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui sponte id petant et rite sint dispositi.

§ 4. Si adsit periculum mortis aut urgeat necessitas, persecutionis aut in carcere inclusionis ratione, aliave, de iudicio Episcoporum conferentiae aut loci Ordinarii, gravis necessitas, ministri catholici licite eadem sacramenta administrant ceteris quoque christianis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui ad propriae communionis ministrum accedere non valent atque sponte id petant, dummodo tamen fidem quoad eadem sacramenta consentaneam fidei Ecclesiae catholicae manifestent et rite sint dispositi (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 27; *Directorium de re oecumenica*, nn. 42-47, 55).

§ 5. Ad sacramenta nunquam admitti valet qui non sunt per baptismum Ecclesiae incorporati.

*Can. 3*

§ 1. Sacraenta baptismi, confirmationis et ordinis, quippe quae characterem imprimant, iterari nequeunt.

§ 2. Si vero prudens dubium exsistat num revera aut num valide collata fuerint, censenda sunt non fuisse collata, ita ut conferri debeant.

*Can. 4*

§ 1. In sacramentis ministrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et caeremoniae quae in libris liturgicis a competente auctoritate probatis praecipiuntur (cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 63).

§ 2. Minister sacramenta conferat secundum proprium ritum, salvis praescriptis cann. 851 § 2, 866, et... (alii postea indicandi).

*Can. 5*

§ 1. In ministrandis sacramentis, in quibus sacra olea adhibenda sunt, ministri utantur oleis ab Episcopo benedictis, salvis exceptionibus iure admissis: olea adhibeant recenter benedicta, nec veterioribus utantur nisi necessitas urgeat.

§ 2. Olea de quibus in § 1 sint ex olivis aut aliis ex fructibus vel plantis.

*Can. 6*

§ 1. Parochus olea sacra a proprio Episcopo impetrat, eaque in ecclesia, decenti custodia, diligenter asservet.

§ 2. Cuilibet sacerdoti licet oleum infirmorum secumferre, ut, in casu necessitatis, unctionem infirmorum ministrare valeat.

*Can. 7*

Pro sacramentorum administratione minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte petat, salvo praescripto can. 1507 § 1.

APPENDIX V

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT  
«DE INDULGENTIIS»

*Can. 1*

Indulgentia est remissio coram Deo poenae temporalis pro peccatis, ad culpam quod attinet, iam deletis, quam christifidelis, apte dispositus et certis ac definitis condicionibus, consequitur ope Ecclesiae quae, ut ministra redemptionis, thesaurum satisfactionum Christi et Sanctorum auctoritative dispensat et applicat.

*Can. 2*

§ 1. Indulgentia est partialis aut plenaria prout a poena temporali pro peccatis debita liberat ex parte aut ex toto.

§ 2. Indulgentia sive partialis sive plenaria potest semper defunctis applicari in modum suffragii.

*Can. 3*

Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis vitam praesentem degentibus applicare.

*Can. 4*

Praeter supremam Ecclesiae Auctoritatem, cui totius spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri, quibus haec potestas in iure agnoscitur.

*Can. 5*

Auctoritas quaelibet infra Romanum Pontificem nequit:

1° Facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id eis a Sede Apostolica expresse fuerit indultum;

2° Eidem operi, cui iam a Sede Apostolica vel ab alio indulgentia concessa sit, aliam adiungere, nisi novae conditiones adimplendae prescribantur.

*Can. 6*

Episcopus dioecesanus aliquique, in iure ipsi aequiparati, a capta officii possessione, ius habent:

1° Concedendi indulgentiam partialem personis in quas potestatem gratiosam exercere potest ad normam can. (de potestate regiminis).

2° Benedictionem Papalem cum indulgentia plenaria, secundum praescriptam formulam, impertiendi in sua quisque dioecesi ter in anno, festis sollemnibus ab ipsis designandis, etiamsi iidem Missae sollemni adsistant tantum.

*Can. 7*

Metropolita potest indulgentiam partialem in dioecesibus suffraganeis sicut in propria dioecesi concedere.

*Can. 8*

Cardinalis facultate gaudet concedendi indulgentiam partialem ubique, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, acquirendam.

*Can. 9*

Qui a Summo Pontifice impetraverit indulgentiarum concessiones pro omnibus fidelibus, obligatione tenetur, sub pena nullitatis gratiae obtentae, authentica exemplaria earumdem concessionum ad Sacram Poenitentiariam deferendi.

*Can. 10*

Indulgentia, alicui festo adnexa, translata intelligitur in eum diem quo huiusmodi festum vel eiusdem externa sollemnitas legitime transfertur.

*Can. 11*

Ad lucrandum indulgentiam alicui diei affixam, si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur, haec fieri potest a meridie diei praecedentis usque ad medium noctem quae statutum diem claudit.

*Can. 12*

§ 1. Christifidelis qui pietatis obiecto (crucifixo vel cruce, corona, scapulari, numismate) a quovis sacerdote rite benedicto, pia utitur mente, consequitur indulgentiam partialem.

§ 2. Christifidelis pia utens mente iisdem pietatis obiectis a Summo Pontifice aut a quolibet Episcopo benedictis, assequi potest etiam indulgentiam plenariam die festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, addita tamen, qualibet legitima formula, fidei professione.

*Can. 13*

§ 1. Indulgentia adnexa visitationi ecclesiae non cessat, si ecclesia funditus evertatur rursusque intra quinquaginta annos aedificetur in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo.

§ 2. Indulgentia adnexa usui pietatis obiecti tunc tantum cessat, cum idem obiectum prorsus desinat esse vel vendatur.

*Can. 14*

§ 1. Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias, debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum, subditus concedentis.

§ 2. Ut vero subiectum capax eas revera lucretur, habere debet intentionem saltem generalem eas acquirendi et opera iniuncta implere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem.

*Can. 15*

§ 1. Indulgentia plenaria semel tantum in die acquiri potest.

§ 2. Christifidelis tamen consequi poterit indulgentiam plenariam in articulo mortis, etiamsi eodem die indulgentiam plenariam iam acquisiverit.

§ 3. Partialis vero indulgentia pluries in die acquiri potest, nisi aliud expresse statuatur.

*Can. 16*

Opus praescriptum ad acquirendam indulgentiam plenariam ecclesiae vel oratorio adiunctam est eiusdem pia visitatio, in qua recitantur oratio Dominica et fidei symbolum.

*Can. 17*

§ 1. Ad indulgentiam plenariam assequendam requiritur ut perficiatur opus indulgentia ditatum atque adimpleantur condiciones, quae sunt: sacramentalis confessio, communio eucharistica et oratio ad mentem Summi Pontificis.

§ 2. Tres condiciones perfici possunt pluribus diebus ante vel post praescripti operis execusionem; convenit tamen ut communio et oratio ad mentem Summi Pontificis peragantur ipso die quo instituitur opus.

§ 3. Salvis praescriptis cann. 22 et 23, si condiciones de quibus in § 1 non adimpleantur, indulgentiam erit partialis tantum.

*Can. 18*

Unica sacramentali confessione plures indulgentiae plenariae acquiri possunt; unica vero communione eucharistica et unica oratione ad mentem Summi Pontificis una tantum indulgentia plenaria acquiritur.

*Can. 19*

Condicio precandi ad mentem Summi Pontificis plane impletur, si recitantur ad Eiusdem mentem semel Pater et Ave data tamen facultate singulis fidelibus quamlibet aliam orationem recitandi.

*Can. 20*

Opere, cui praestando aliquis lege aut paecepto obligatur, nequit indulgentia lucrifaci, nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur; qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem poenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari.

*Can. 21*

Indulgentia alicui orationi adnexa acquiri potes quocumque idiomate oratio recitetur, dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione vel Sacrae Poenitentiaria vel unius ex Ordinariis locorum ubi vulgaris est lingua in quam versa est oratio.

*Can. 22*

Confessarius commutare potest sive opus paecriptum sive condiciones pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant.

*Can. 23*

Ordinarius vel Hierarcha loci potest insuper concedere fidelibus, in quos ad normam iuris exercet auctoritatem, si in locis versentur ubi nullo modo vel saltem admodum difficile ad confessionem vel communionem accedere possint, ut ipsi queant indulgentiam plenariam consequi absque actuali confessione et communione, dummodo sint corde contriti et ad praedicta sacramenta, cum primum poterunt, accedere proponant.

*Can. 24*

Muti lucrari possunt indulgentias adnexas publicis precibus, si una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios sensus ad Deum attollant; et si agatur de privatis orationibus, satis est ut mente recolant signisve patefacent vel tantummodo oculis percurrant.

